# BREUIS, ET SUCCINCTA NARRATIO MIRACULORUM VIRGINIS...

Pierre Bouillè, Martin Basse

Digitized by Google

BIBLIOTECA NAZIONALE VITT. EMANUELE
14
27 A 3
38

Aſſistentiæ Germaniæ S. J.

# BREVIS,
## ET SVCCINCTA NARRATIO
### *MIRACVLORVM VIRGINIS*
# FOYENSIS,
### QVÆ
*SINGVLARI DEI MVNERE*
*è latebris annoſæ quercus enituit,*

ANNO M. DC. IX.

In Cellenſi Toparchia non procul Dionanto Leodienſis agri oppido.

*A R. P. PETRO BOVILLIO*
E SOCIETATE IESV,

*Gallicè primùm edita, indéque à quodam eiuſ=dem Societ.* IESV, *latinitate donata.*

BIBLIOTECA NAZ. ROMA. VITTORIO EMANUELE

DOM. PROF. ROM. IHS V

DVACI,
Typis MARCI WYON ſub ſigno Phœnicis,
Anno M. DC. XX.


Noſtre Dame de Foy lez Dinant pais de liege
Mart. Baes f.

SERENISSIMO PRINCIPI

# FERDINANDO

Electo, Dei gratia, & confirmato Archiepiſcopo Colonienſi, S. R. I. per Italiam Archicancellario, & Principi Electori. Epiſcopo Leodienſi, Hildesheimenſi, Monaſterienſi, Paderbornenſi. Coadiutori Berchteſgadenſi. Adminiſtratori Stabulenſi. Comiti Palatino Rheni. Vtriuſque Bauariæ Duci: nec non Weſtphaliæ, Engerenſi, & Bullonio. Marchioni Franchimontano. Comiti Loſſenſi, Longienſi, Hornano, &c.

PETRVS BOVILLIVS

FELICITATEM.

E*Xiguum hunc,* SERENISSIME PRINCEPS, *de Virgine Foyenſi libellum, non leuibus obæratum nominibus, tua adgeniculatus*

*Serenitati conſecratum venio. Aliò enim cogitationes meas, aut animi ſtudia vertere nec poſſum, nec debeo. Nam, ſi quæ profundis terrarum viſceribus conditæ ſunt argentariæ, aureæúe fodinæ; vel in lucem dati multarum opum theſauri, ſupremis Dominis, propterea quod in eorum ſint ditione, iure omni vſuq́; debentur: facerem profectò contra Gentium receptum morem, & clientelæ iura vniuerſa, ſi prædiuitem hunc Virginis Foyenſis theſaurum in agro tuo Leodienſi nuper enatum, officij, & beneficij immemor, aliò per ſcelus tranſcriberem. Longum iam tempus abijt,* Sereniſſime Princeps, *ex*

*quo non longè à villa Foyenſi ( quæ in vltimis Leodienſium eſt finibus ) priſci illi Dionantenſes auita, & domeſtica in Virginem pietate, eiuſdem icunculam in excauata propter publicam viam quercu collocauerant. Ea, vt fit, lapſu temporis, coëunte paulatim, ac ſupercreſcente cortice, ſeſe viatorum oculis ſubripuit: atque diutiſsime non amiſsa eſt illa quidem, ſed abdita, vt ſcilicet ( quæ noſtri eſt ſaculi magna felicitas ) ijſdem Ferdinandi prodiret auſpiciis, quibus omnis ditio Leodienſis pari virtutum, opumque gloria niteſceret. Nec vero ſine prouidentia numinis, rerum om-*

 *nium*

*nium duce, ac magiſtra fa-ctum exiſtimo, vt nobis tan-dem aliquando, totique Pa-triæ ſecreta hactenus, & hu-mano ſubmota aſpectui, virgi-nis effigies quaſi poſtliminio redderetur, & eo quidem po-tiſsimum loco, cui pulcherri-mum à Fide nomen eſt; atque eo etiam tempore, cum* Sereniſſima tua Celſitudo *gentilitijs inſcriptam ſymbolis,* AVITAM FIDEM, *contra Fidei perduel-les, ſemper Virginis, ſemper i-maginum temere zoilos, & impie contemptores, longe late-que oſtentat: cum, inquam, Leodina Diœceſis eum eſt ſortita Principem, qui totis feratur in Virginem votis,*

totis

*totis vlnis ambiat, totis inſerat ac foueat medullis: vt illa viciſsim haud immeritò è latebris proſiluiſſe Foyenſibus dici poſſit, quo tam fidum, feruidumque amatorem, non inuenuſta nominis, & amoris colluſione redamaret. Atque hæc ſunt præcipuè, quæ humilem licet, & tanto nomini imparem clientem impulerunt, hoc vt munuſculum micantibus Serenitatis tuæ tholis appenderem. Quamquam, ſi mecum reputare velim (quod nî ingratiſſimus mortalium audire parui ducam, neceſſe eſt vt ſæpe faciam) hinc inexhauſta illa benefi-*

*neficia*, *&* *inuſitatos animi fauores*, *quibus Societatem noſtram vniuerſam* Sereniſſima tua Celſitudo *complectitur*; *hinc parendi atque obſequendi officium*, *quod Principi ac Domino meo longè optimo deuotus cliens debeo*: *haud ſanè poßim abſque graui*, *&* *inobſequentis* *&* *ingrati nota*, *hoc propoſiti muneris prætermittere. Quum enim duobus abhinc ab annis*, *ipſo Octobri menſe*, *in vrbe Bonnâ tecum vnà eſſem*, *mandatum à tuâ* Celſitudine *accepi*, *vt quæ de Virgine Foyenſi*, *variis incertiſque rumoribus in vulgus ſpargebãtur*, *antequam in alienas terras emanarent*, *diligentius ex-*

*plorarem, explorata vero, & comperta ocyus perſcriberem. Feci, vt mandatum fuit, & Dionantum reuerſus, mox quæ nanciſci quærendo potui, mandaui litteris, paucis id tum quidem, quia pauca ſuppetebant: nunc verò, quando pluribus, poſt alia certioris rei incrementa, id facere licet, ecce tibi in hoc libello, & vberioris calami aliquanto pleniora obſequia, & Sanctiſſimæ Deiparæ, ſanè multo locupletiora beneficia, quæ Serenitatis tuæ ſitim Superis longè gratiſſimam, ſi non penitus reſtinguere, ſaltem ſedare aliquatenus, donec ampliora gratiarum eiuſdem beatiſſimæ Mariæ flumina publici-*

tus

*ius erumpant , in præſentia poſsint. Accipe igitur hæc,* Sereniſſime Princeps, *& quibus oculis ipſam Pietatem ſoles, iiſdem hac noua pietatis germina intuere benignus & tuere. Sic tibi magnus ille omnium Dominus ac temporum diſpenſator, lætam annorum ſimul & bonorum vbertatem largiter accumulet. Vale.*

APPRO-

# APPROBATIO VICARII SERENISSIMI PRINCIPIS ET EPISCOPI Leodienſis.

HÆc inuentionis Imaginis Foyenſis, eiuſque miraculorum hiſtoria à R. P. Petro Bouillio Rectore Collegij Societatis Ieſu, in hac ciuitate Leodienſi fideliter exarata; atque ab eodem cum Dionanti (quod propè Foyenſem villam eſt oppidum) Rectorem ageret, mandato Sereniſſimi Principis noſtri accuratè examinata, grauiſſimorúmque hominum teſtimonio comprobata, vtiliter ad augendum Virginis Deiparæ cultum typis excudetur. Datum Leodij 27. Maij 1620.

PETRVS STEVARTIVS
VICARIVS LEOD.

# INDEX CAPITVM

## PARTIS PRIMÆ.

CAP. 1. Situs, & natura loci Foyenſis.

CAP. 2. Foyenſe nomen à fide, Gallico idiomate, deducitur.

CAP. 3. Olim in quercu, Virginis effigies collocatur.

CAP. 4. In eadem quercu, lõgo poſt tempore, mirabiliter deprehenditur.

CAP. 5. Imaginis Foyenſis deſcriptio.

CAP. 6. Capilli in quercu cum imagine reperti.

Cap. 7. Item pellucidi lapilli, quales etiamnum in agro vicino reperiuntur.

Cap. 8. Sacellum exædificatur, in idq; ſolemni pompa imago Foyenſis traducitur.

---

## *Pars ſecunda.*

Miracula cùm in arce Cellenſi, tum in ſacello nuper exſtructo complectitur.

A V-

# AVCTORIS PRÆLOQVIVM.

SATIS compertum habeo fore, Lector beneuole, vt quæ de Virgine Foyenſi,hoc breui libello complexus ſum, non pauca tantum pro famę de illa ſuſcitatę magnitudine; ſed etiam rudia, & impolita, pro argumenti dignitate, tibi videantur. Verum neque illud quæſo ſocordiæ aut fugæ laboris, neque hoc quamuis tenuis ſcriptoris temeritati, aut ſcribendi prurigini attribuendum putes: ſed partim amicorum importunis expoſtulationibus, partim meis ipſius grauioribus occupationibus. Nam ducenta, eoque amplius penes me habeo, patrata ad hanc imaginem, pro varia ſupplicantium pietate,egregia miracula, quę idoneam iuſto volumini ſuppeditare materiam poterant, niſi me domeſtica negotia, & quotidianæ amicorum efflagitationes, potiùs pauca deproperare, quàm multa elabo-

rare

rare adegiſſent. Et ſanè, ſi verum fateri licet, nec inſtituti mei leges, & vitæ ratio, nec aſſidua curandæ familiæ ſollicitudo, tantum exiguo tempore otij conceſsêre, vt eam adferre poſſem diligentiam, quam in explorandis, diſcernendiſque tot ſignis ac miraculis, par eſt adhiberi: vt proinde maluerim paucula probè, exactéque diſcuſſa, in lucem promere, quàm multa immaturè effundendo, veritatis ſplendorem obſcurare. Quare extremis tantum, quod aiunt, digitis rem attigi, viatores æmulatus, quibus cum feſtinandi ſtudium, & temporis anguſtiæ totum aliquod pratum ſuis expilare floribus non permittunt: tum carptim hinc atque hinc, confeſtimque, quod eſt venuſtiſſimum ſolent excerpere, Nec eò hæc dico, quaſi ea potiſſimè delibauerim, quibus ſplendoris plus ineſſet, quàm certitudinis. Minimè hoc egi, minimè gentium: ſed ea tantum proferre ſtudui, quibus examinandis (nam homines omni fide digniſſimi hanc ad rem auctoritate publica adhibiti ſunt) præſens

ipſe

ipſe, iuſſu Sereniſſimi Principis, adfui: vel certè tam claris accepi comprobata conteſtataque argumentis, vt nullus dubitandi relictus poſſit eſſe locus. Quod ſi tamen quippiam, aliqua eorum qui hæc retulerunt, vel non curantia, vel imperitia deſit, ſuperſitue (quod quidem minimè reor) id ſecundis curis, & typis, Deo fauente, emendabimus: cauebimusq; perquam ſedulo, ne præfulgentibus Deiparæ miraculis, vel tenuiſſima falſitatis vmbra comitetur. Tu verò Lector beneuole, dum alius perfectior, & omnibus numeris abſolutus, à præſtantiore ingenio, & feliciore calamo, liber in publicum prodeat, noſtro hoc qualicumque munuſculo iam fruere, & mirabiles atque inſolitos fauores, quos in agro Foyenſi, præpotens Deus, multis mortalibus, ſolito matris ſuæ reſpectu impertijt, gratus agnoſce & venerare. VALE.

PARS

# PARS PRIMA.

## VNDENAM FOYENSIS IMAGO EMERSERIT.

## CAPVT PRIMVM.

*De ſitu, & natura loci Foyenſis.*

IN ditione atque diœceſi Leodienſi, mille circiter à Dionanto paſſibus, apud extremos Namurcenſium limites, meridiem inter & Orientem Foya viſitur, nobiliſſimę Cellenſis Toparchiæ, ignobilis villa. Huius ſolum ingratæ, ac infelicis glebæ ægrè in ſcrupea ſua viſcera aratrum admittit, neque magnos ſuis colonis prouentus affert, niſi improbo ſubacta cultu, aſſiduaque induſtria. Sed in primis calamitoſæ noſtrorum temporum iniuriæ, bellorumque motus effecerunt, vt dilapſis metu agricolis in myricas, & ſenticeta propemodum ſilueſceret. Locus

tamen ipſe ſua ſponte, cum ad aſpectum eſt amœniſſimus, tum ad cœli temperiem ſaluberrimus. Quippe cui nonnihil edito, atque eminenti: partim ſubiacet, partim opponitur, nemorum, vallium, colliumque gratiſſima, atque vndequaque circumfuſa varietas.

Ingentis porrò alicuius olim nemoris fidem facit, quæ non procul à villa hodieque ſuperſtes eſt veteris ſiluæ portio, proceris late arboribus conſpicua. Ad ipſam villam, geminæ quercus ex immani ſilua reſtiterant, quæ per vices in fruſta conciſæ, atque in varias Europæ regiones aſportatæ, qua effingendis arte ſtatuaria ſimulachris, qua curandis corporum ægritudinibus, virgæ Moſaicæ ad exemplum ſupra naturæ vim perutiles fuère. At alibi de his plura.

Iis autem ferme temporibus, quibus nondum Virgini ſacellum exædificatum, atque adeo ijs ipſis, quibus eius effigies ex occultis arboris penetralibus eſt eruta, aut in eundem locum e Cellenſi caſtello reportata, nihil omnino

nino Foyæ, præter veterem villam. domorum fuit, aut accolarum. At eæ domus, quæ iſtic modo ſunt plurimæ, pro tuguriolis à principio tumultuaria propére congeſtis manu, crebreſcente in dies loci religione, in commodiorem peregrinorum vſum emerſerunt. Atque mágnum eſt ibidem ædificantibus compendium, quod locus ipſe, arena, marmore, cœmento, ſiluâ cæduâ locuples, cuncta vltro in ædificia largiatur. Vnum tamen tantis commodis deſit, aquæ copia. Quamuis enim ſub modici collis radicibus, qua ſpectat meridiem, fons pateat, ita tamen auara ſcaturigine permodicas diſpenſat aquas, vt ardente Sirio propemodum exareſcat. Idque diuino fortaſſis conſilio, quo ſcilicet indigenæ ab illo, quem tam vicinum habent, omnium gratiarum fonte, non ſpiritales modo aquas, ſed quaſcumque etiam alias vſus poſtulauerit, piè condiſcant, fidenterque expoſcere.

## CAPVT II.

*Foyenſe nomen à fide, Gallico idiomate, deducitur.*

NOMEN Foyenſe licet barbarum; fortuitum tamen haud arbitror. Cum enim veterem gẽtis dialectum penitius attendo, certò certius à fide deduci comperio. Atqui tam luculenti nominis non caſus aliquis improuiſus, aut hominis arbitrium incerti; ſed præclara dubio procul fuit occaſio: quæ licet tenebris vetuſtatis operta deliteſcat, hac tamen, vt reor, coniectura aliquo vſque educi poteſt. Credibile enim abundè eſt, tum, cum in fortunatam illam arborem primulum inſerta eſt Virginis effigies, magnam peregrinorum vim ex finitimis, colendæ ipſius cauſſa, ſinceris animis, ſimul inculpata fide turmatim eo ſe loci infudiſſe. Atque inde ab ea in Virginem fide, fidei nomen iſti inditum loco. Neque verò id temerè conijcio: eſt

enim Dionanto Foyam euntibus ſubeunda vallis, inter geminos colles non admodum depreſſa. Ea vulgò peregrinorum vallis dicitur. Cum de nominis huius origine quęritur, omnis memoria conticeſcit, & nemo vnus ſenum eſt, qui ſciſcitantibus aliud adferre poſſit, quam longo vſu obſeruatum eſſe, peregrinos qui Foyam adirent, in ea forte valle, ſubter opacam arborē, aut humile dumetum reſpirare ſolitos. Quod autem ea in ſtatione quotidie frequentes eſſent peregrini, tā illi peregrinorum valli nomen fecerunt, quam Foyenſibus nomen fidei à ſua faciebant fide. Cæterum haud illubenter ominis feliciſſimi nomen admittimus. Emerſit ſcilicet Virgo Foyenſis, ſiue fidei mauis appellare, perfidos huius æui iconoclaſtas, ſignis atque prodigijs obrutura, ſuumque imaginibus cultum iure bono reſtitutura: quem fæx illa mundi, orco damnata, non iure, ſed odio, exſtinctum prorſus & exterminatum cupit, dum toties omnium Patrum conſenſu abominatum impietatis ſuæ dogma ſta-

bilire fruſtra contendit. Quin mihi in mentem venit augurari, eam, quæ à fide nomen aut admiſit, aut aſſumpſit, olim ardentes fidei flammas in probis, & chriſtianis mentibus excitaturam. Neque hoc ſolum; ſed etiam à fide deuios, ſi forte quoſpiam, ſeu error, ſeu conſilium, aut ad eius ædiculam detulerit, aut eoſdem ſinceros mirabilium auditores, aut ſpectatores facinorum fecerit: eos inquam aliquarum tam liberalis Dominę gratiarum conſortes fore non vanus augur mihi perſuadeo.

## CAPVT III.

*Olim in quercu Virginis effigies collocatur.*

CONSTAT prima orientis Eccleſiæ tempeſtate, nulla, vel propè nulla, vero numini fuiſſe templa. Noſtræ tamen ſalutis vindicem cultu publico fruſtrari non decebat. Arborum igitur maximas quaſque, ſacrorum ſigillorum appoſitione, pro ſuper-

his

bis templorũ auguſtalibus, Chriſtianorum primi conſecrarunt. Id quidem olim ſtudioſè factitarant idololatræ, qui inſanis erroribus dementati præcellentem quamlibet arborem, teſte Plinio, numinibus ſuis impio dicabant ritu. At melioribus colonis tandem, veteribus exactis, ſedes iſta ceſſit; & nequicquam frendentibus auerni ſatellitibus, egregia maiorum noſtrorum pietas, arboreta omnia ſacris inſigniuit monumentis. Atque illum exinde morem ſecuta poſteritas auorum ſimilis, etiam poſt templa ſuperis immortalibus condita, omnes compitatim arbores, Diuorum imaginibus ( rumpatur licet Caluinus) compleuit. Eaſdem verò Deus opt. max. approbata ſæculorum omnium non ſuperſtitione, ſed legitima, pulcherimaque religione, prodigiis illuſtrauit. Hinc illa, vt alias præteream innumeras, celebratiſſima Conſtantinopoli cupreſſus; quæ (ſi Nicephoro credimus) vt ſuas opes, ramis ſcilicet occultatam Virginis effigiem, proderet, ſtupente vrbe orbis principe, claro iubare, diebus

compluribus, vti Moyſis rubetum, non effulſit modo; verum etiam multorum corporibus, animiſque ſalutem attulit. Nota ſunt Belgii noſtri decora, Seruiana apud Hannones ſambucus, & nuper Lipſij amores, Aſpricollenſis in Brabantia quercus: maxima duo Belgici moris argumenta, quibus facile perſuaſum eſt mihi, veteres Belgas eam conſuetudinem imagines in arboribus collocandi recepiſſe; atque aliorum exemplo incitatos etiam Foyenſes, illam, de qua agimus, Virginis icunculam vernaculę quercui piis manibus implantaſſe. Sunt enim Dionantenſes vna cum Foyenſibus accolis, totoque nomine Leodienſi, propenſiſſimo in Deiparam animo, eamque, ſi qua gens alia, venerantur cultu ſingulari. Teſtantur id omnibus vrbium compitis, propè etiam domorum omnium liminibus, frequentes ſtatuæ, quas ſtatis temporibus, accenſis cereis, & cantu muſico, omnis ordinis, ætatiſque mortales concelebrant. Eam religionem cum fidei luce D. Maternus infudit; quam & retinuêre mordicus, & ſol-

licita

licita cura transfudêre in poſteros. Itaque Dionantenſes veteri quaſi pietate reuocata, diebus pauculis ante, quam de Foyenſi Virgine fieret mentio, magno omnium conſenſu, plauſuq;, publicis arboribus virgineas addiderunt icones; ſuo velut facto Foyenſem prolicerent, vt ipſa viciſſim foras emicans, ſuæ iam arbori ſpectabilis præſideret. Enimuerò quonam tempore priſcì Foyenſes imaginem Virginis in quercum primitus immiſerint, non eſt facilis coniectura. Neque tota ea regione quiſquam eſt omnium, qui reuolutis longiſſimè temporibus aut audiſſe ſe quidquam, aut vidiſſe meminerit. Porrò excauatę arboris in tantum coierant hiatus, vt nullæ diſcerni commiſſuræ, nulla perſpici poſſent veſtigia. Quod autem mediam propè arborem inſediſſet, cum eſt reperta, primâ ſtatim ipſius quercus iuuentâ intromiſſam arguit. Cæterum ſpectata trunci vaſtitate, cuius diameter octo pedũ eſſet, vix fieri poteſt, quin duo iſtic, triaue ſæcula latitarit. Illa quidẽ interea tanto depoſito felix arbor; at feliciores

eius

eius aſpectu mortales, quos ſerenitate vultus ſui recreat, ſoſpitatque.

---

## CAPVT IV.

*In eadem quercu, longo poſt tempore, mirabiliter deprehenditur.*

EA eſt nouercantis naturæ indoles, vt chariſſima ſui pignora argentum, aurum, vniones cupidis procul ſubducat oculis. Sed ingenioſa cupiditas, aut cuncta in lucem proferens tempus, tandem eruit quantumlibet abſtruſa. Virginem Foyenſem cæcis arboris inuolucris abdiderant tempus & Deus: qui cœleſtia quandoque munera non inuidet quidem: ſed mortalium vſu, atque aſpectu ſubducit, vt maioris æſtimata, quæſitaque diligentiùs, opportunè demum, vbertimque reſtituat. Id plane Foyenſibus vſuvenit, qui forte per incuriam amiſſo, tot iam annorum curriculis, cœleſti dono, tandem cùm cœlo viſum eſt, omnibus cumulatiſſimum bonis, ſtupendo recu-

perarunt euentu. Putri ſenio fatiſcens, iamque euanida quercus Foyenſis, nulla vt olim gloria, ſua tantùm mole memorabilis, annum huius ſæculi nonum attigerat. Illam tum temporis Innocentius quidam ex Limoir (id pagi nomen eſt) ab Illuſtri Barone Cellenſi coëmit, atque, niſi vitium feciſſet, in vſus nauticos deſtinat. Igitur ex conuentione cum Innocentio, Ægidius Waulin, ciuis & carpentarius Foyenſis, duodequinquagenarius circa Maij Kalendas radicitus excidit. At exciſa & proſtrata quercus, cariem circum medullas duos pedes latam confeſtim prodidit. Quare mutato conſilio fruſtulatim conſcindi iubetur, in luculentum focum. Quod dum fit ſtrenue, cumque ad humani corporis altitudinem impacta ſecuris viam in trunci viſcera feciſſet, continuò ſtupentibus, & trepidantibus operis, abdita in intimo quercus ſinu, ſeſe cum ferreis cancellis vetuſtate ac ferrugine exeſis, Foyenſis Imago videndam obtulit. Id iuratus aſſeuerauit Gerardus Theodorici, octo

& quinquaginta natus annos, qui cum locata in diem opella villico famularetur, tum forte temporis & loci carpentarium adiutabat. Ancilla porrò Ioannis Michaëlis, Foyenſis villici, acceptam imaginem diligenti cura abluit, atque inter ruſticanam ſupellectilem, in aſſerem domeſticum, honeſto, vt rebatur, loco tranſpoſuit. At perilluſtris Baro Cellenſis cultu publico dignam ratus, paſſus non eſt pro ſuo in Virginem affectu, ſupra ſex ſeptimanas in fumoſo illo tuguriolo deliteſcere; ſed in alteram quercum priori proximam, excauata ſpatijs anguſtis ædicula, ſine mora proferri, ferramentisque itidem tribus muniri iubet. Cum verò, neſcio quæ ſacrilega manus, ex ijs duo nefarie ſurripuiſſet, veritus eſt perilluſtris Dominus d'Enhez, ne propediem cum ferramentorum tertio, ipſa etiam Virginis effigies, ſeu pio furto, ſeu manu impia (quid enim homines non audeant?) tolleretur. Itaque in arcem Cellenſem (quę paterna domus eſt) nullo temporis interpoſito ſpatio deportauit, atque intra

priuatum

priuatum lararium, ſiue deuotionis intimum penetrale ſuſceptam, ad vigeſimam primam Nouembris anni CIↃ. IↃC. XIIX. domeſticæ pietatis præſidem habuit & hoſpitem minimè pœnitendam.

---

## CAPVT V.

*Imaginis Foyenſis deſcriptio.*

FVIT, quiſquis Foyenſem imaginem primus effinxit, præcellens ſanè artifex. Eſt enim tanta totius oris corporisque venuſtas, vt nec calamo Philoſtrati, neque Lucæ penicillo magis exprimi potuerit. Diuinum certè præ ſe fert quidpiam, atque ſtylobatis erecta cancellatis ſpectantium oculos animosque inuſitata ſerenat amœnitate. Veſtis vtraque, toga ac tunica, præſcite laciniata, & ſtriata in primis, qua pectus obtegit: nihil præterea accerſitum habet aut fucatum, niſi quod, vbi ad collum pertinet, ſit denticulata. Floreum gemmeumque diadema, Regiæ Maieſtatis inſigne, candidum

didum capiti velum circumprímit, atque hoc viciſſim pendulam retrorſum cæſariem vel humerorum tenus obnubit. Sed in facie præſertim, ſtatuarij lepos eluxit. Vernula eſt iuxta atque ſerenula, riſu blandulo, flexuque dextrorſum verſum haud ita magno, in filiolum prona declinat: cuius totam tenelli corporis ſarcinulam dextera, læua autem extremos dextri pedis vnguiculos geſtu permodeſto ſuſtinet. Atqui non impar eſt tam pulchræ matri filiolus, ſerenulus ipſe quoque, vernulus, blandulus. Nudato vertice, cirriſque leniter fluentibus, in aduerſos ridenti ſimilis aſpicit. Induſiolum vnionibus ſuperne redimitum, exectum vero inferne, atque vtrimque diſiectum, genua, pedesque, modeſtiæ cauſſa, decuſſatos aperit. Maternum pectus ſiniſtra placide adprimit; ſed dextra puerorum more aſſeruat pomum. De reliquo, tota imago intime concaua, arte figlina, præcipui cuiuſdam plaſtæ manu, vel ad huius ſæculi ſtuporem fuit efformata. Color autem nullus eſt niſi terræ, è qua conſtat imago, ſubalbidæ.

Itaque

Itaque miraculi inſtar eſt,tamdiu contra creberrimas temporis edacis iniurias, tot caſibus, periculisque perduraſſe. Is tamen, qui quercum excidit, faber lignarius, imprudens in collum Virginis ſecurim adegerat, atque vnà cum paruuli ſiniſtra caput excuſſerat. Verum quod nihil aſſulatim diſſipatum, aut male contritum eſſet, tenui deinde cera collatis partibus, ita reſtitui potuit, nulla vt deinceps inuenuſta cicatrix appareret. Quod quidem ita accidiſſe peculiari Dei prouidentia, & euentu plane mirabili fatendum eſt, ſpectato in primis valentiſſimi hominis impetu, & fragilis materiæ imbecillitate.

## CAPVT VI.

*Capilli in quercu cum imagine reperti.*

INTEREA dum excisa comminuitur querc⁹, forte fortuna muliebres capillos nitentes adhuc, & nullo ſitu ſquallidos vnà cum lapillis cœſij coloris reperiri contigit. Ac de

lapillis quidem ſequenti capite: nunc vnde illæ iſtic loci capronæ, videamus. Non dubium, quin iuſta aliqua ſubſit ratio, ſed mihi, vt verum fatear, extra coniecturam prorſus eſt ignota. Si tamen quærendo, veterum mores conſulere inſtituam, videor mihi poſſe aliquid ex antiquitatis tenebris elicere, quod ab hac re nec ſit alienum, & coniecturas fideliter aſtruat. Opinantur quidem bene multi, hoc quidquid repertum eſt crinium, Mariani capitis ornamento concinnatum fuiſſe. Sed næ iſtud non conuenit: cum nec vſus ſit promiſſis adeo capillis tam exiguo ſigillo, nec verò vnquam diadema capite dimoueri potuerit, vt decenter adaptarentur; neque præterea credibile ſit tam abiunctos ab imagine futuros fuiſſe, quam erant, cum ſunt reperti. Propius igitur vero eſt, nobilem aliquam ex eo populo Virginem, intaminatam Magnæ Matri pudicitiam conſecraſſe. Comam itaque generoſis demeſſam forcipibus Foyam attuliſſe, & fidelem promiſſorum arrham, & nobile domitæ carnis, ſubactæ-

ſubactæque vanitatis trophæum ſtatuiſſe. Id vt omnino credam exigit mos iſtorum ſæculorum, quibus, ſi fidem hiſtorijs habemus, in vſu creberrimo fuiſſe conſtat, vt hac ratione, ſolemnique ritu caſtiſſimæ virgines illibata ſua corpora Deo deuouerent, inter lilia cœleſtis ſponſi perpetuo victuræ.

---

## CAPVT VII.

*Pellucidi itidem lapilli, atque etiamnum in agro vicino reperiuntur.*

LAPILLORVM iuxta crines memoratos inuentorum numerum in aduerſariis non reperio. Sed niſi me fallit memoria, totidem fuiſſe probè recordor, quot limpidi ſilices in Dauidica pera, quando aduerſus impiè gloriabundum Goliath diuino inſtinctu cōſeruit, ſuorumque caſtra gelido metu vindicauit. Neque vero intempeſtiuè Dauidis memini: Strato etenim, ſectoque infami Gigante, quinque illos ſilices publicæ vindices li-

bertatis, opis cœlitus acceptæ memor, Deo ſacrauit. Atqui non immeritò ſuſpicor, è peregrinis olim aliquem vnum, ad ſuos in Virginem Foyenſem animos, & gratitudinem teſtandam, pauculos, de quibus agimus, lapillos in arborem inſeuiſſe. Hos verò vnde ille fors nactus fuerit, ne fruſtra quæras, paucis accipe. Propè à villa Foyenſi agellus eſt, ijs lapillis immane quantum locuples, & conſitus. Meridie certè, nitido lucente Phœbo, gratiſſimum quandoque ſpectantium oculis exhibuere ſpectaculum, Sunt enim cryſtallini, & pellucidi omnes; & ſi alius alio magis, prout ſaturum, dilutumue, plus minus imbiberũt colorem. Neque verò vnus omnium eſt color. Namq; hic amethyſtino gaudet, atque ianthino: ille herbeo, praſinóque: ſubnigro alius; & leucophæo: alius thalaſſino, cyaneóque: aqueo pleríque, & vitreo: plurimi flammeo, rutilo, purpureo, roſeo: tanta varietatis amœnitate, vt gemmarum omnium apothecam non iniuriâ dixeris. Quod ſi fortaſſe eorum fulgor hebetetur, aut

euaneſcat; paululum ore, ſaliuáque verſatis, nullo negotio reuocabitur. In figuram quadrangulam, atque ſexangulam, adamantum more, tenui, & peracuto exſcinduntur ferramento: habent enim venulas quaſdam, aut verius latentes ſquammulas; etſi aliqui ſine venis ſolidi, neque ferro vinci poſſint; neque adulterinis circumforaneorum gemmis cedant; atque ipſum adeo vitrum (quod experientia mihi certum eſt) incidant. In pretio maxime ſūt in meditullio perforati, roſarijs ſcilicet aptandis peropportuni. Qualia nunc roſaria, multorum verſantur manibus, pluriſque fiunt, quàm baccata Regum monilia, corollæue gemmeæ. Quippe cum alijs lapillis carbunculo, ſmaragdo, ſapphiro, cæteriſque ſexcentis, vim tantùm naturalem Deus indiderit: hoc etiam diuinum quiddam his addidit, vt in ægrorum potionem comminuti, & defriati, vel affrictu leni partibus affectis adhibiti, ſanitatem plerúmque reſtituant. Ea cauſſa tanto ſtudio requiruntur, atque expetuntur à peregrinis, vt eruto

ac euerſo agello priſtinum illum ſuſtulerint nitorem, ſpemque adimant, exhauſto pedetentim loco, eorum in poſterum potiundi. Sed perpulchrum eſt, quod in aliam quam ſtellæ figuram duci nequeant Foyenſes lapilli. Hoc enim eâ gratiâ factum eſt, vt Deiparam Matrem, matutinum illud, & fulgentiſſimum ſidus, oculis, mentibuſque noſtris perpetuò referrent, atque in amorem, cultumque eos omnes raperent, qui diuinæ opis egentes, grauibus huius vitæ conflictantur ærumnis, & cum tartareo laniſta duellant acerrimè. Namque pectori inſita, & votis euocata, fert ſuppetias Maria. Cur enim tot cœleſtes nobis lapillos ſuppeditat, niſi vt conſtruendis roſarijs, vberem materiam habeamus in promptu, quibus magno pietatis ſenſu euolutis, virgineum aucupemur fauorem, & viribus aucti, atque animis, conatus hoſtium, ceu murali baliſta, perfringamus? Nihil ſiquidem tam ad victoriã de cacodęmone vitijſq; reportandam facit, atque roſarium in gratiam virginis pia mente recitatum.

# CAPVT VIII.

*Sacellum exædificatur, in idque ſolemni pompa Foyenſis imago traducitur.*

NVNC tempus Cellenſis arcis me admonet, quo paucis abhinc annis illata Foyenſis effigies, vt ſecurius inibi, quam in quercu degeret, iam tũ paulatim prodigiorum gloria clareſcebat. Itaque frequens vicinorum turba, ſuis excita ſedibus, potiſſimumque religioſi ac ſacerdotes eò confluebant, cum viſendi, tum litandi gratia, ſuaque aut aliena exoluendi vota. Nec interea ceſſabatur Foyæ, locus exciſæ quercus, & veſtigia certatim colebantur. Quippe velut teſtæ ſuaueolenti imbutæ balſamo, etiam diu ſeruant odorem; haud aliter prima ſtatio Virginis, ſanctitatem quãdam ſpirabat, retinebatque vim occultam ea patrandi quæ teſtarentur numen aliquod iſtîc habitaſſe. Eam ob rem, fauoremque alium plurimum ab hoſpite ſanctiſſi-

ma, ſibi, coniugique ſuæ perilluſtri, filioque natu maximo, profuſis manibus exhibitum, ſuo ſe ratus eſt officio, atque muneri defore perilluſtris Domin⁹ d'Euphez, ſi nō idētidē loci, vbi ſteterat quercus, ſacellū ſuis ſtatueret ſumptibus, quo & aditus expeditior eſſet ad Virginē, & ipſa ſuo tandē viſeretur in domicilio. Sed quod tum abundè eſſe credebatur, ea tantum ſacello ſpatia deſcripſit, quæ nihilo plus ſoli, ſuo caperēt ambitu, quam quantum antea ramis querneis in orbem tegeretur. Inde, qui ante principem aram interioris ædiculæ ſupplicat, abditas ſub humo quercus radices, quæ ſtirpitus euelli non potuerunt, certò genibus apprimit. Cum verò piiſſimi aduenæ locorum anguſtijs excluſi bene multi, neque tecto tegi, neque temporum iniurijs defendi; neque ſacrum facere, cœleſtiue pane refici poſſent, haud longo poſtea interuallo, opere ſubitario, ſpatioſior ædes, alia neceſſitate quadam, acceſſit. Præclarum nempe humani moris documentum. Sunt enim plerumque homines futurorum improuidi

atque in incœptis ſuis, præſertim pijs, anguſto pectore, dumque nimium attendunt præſentia, venturis non conſulunt pro dignitate. Sed credo ego ſacellum iſtud, eadem cum Eccleſia Chriſtiana fortuna agi; quæ ſcilicet ſuis initijs, par minimo ſinapis grano, ad tantam excreuit altitudinem, ramorumque vaſtitatem, vt vmbra feliciſſima omnes terrarum angulos opacarit. In hunc pariter modum, aliquis vt ſpero ex omnibus, (cui tantam Deus annuerit felicitatem) domunculam iſtam in ſuperbam Virgineque non indignam molem, ſua olim aſtruet liberalitate; ſibique numquam interitura æternæ beatitatis mauſolea, ex diuina conſponſione, iure optimo vindicabit. Cellenſes interea profectionem ſtrenuè adornant, & transportandæ in nouum ſacellum imagini, magna cura, pompam inſtruunt. Et commodum ſub idem fere tempus, prodigia quædam recenter edita, atque Sereniſſimi Principis mãdato, ad lancem trutinamque publicæ auctoritatis reuocata, ac tandem omnium calculis Leo-

dij comprobata, diſceſſionẽ ex arce Cellenſi, atque totũ maturauere negotium. Verum iſta abitio nobilẽ domum, & ſi Mariani percupidã honoris, angebat tamen. Cum enim tacita ſecum reputaret, quanta ex iſtius Arcę fœderis præſentiâ, & diuinę Pandorę conſuetudine, cõmoda, deliciaſque collegiſſet; infortunium profectò, mœroremque ex eius abſentia metuebat. Sed quantumcũque retinendi cupiditate arderet; repoſcenti tamen patriæ negari fas nõ erat. Priuatũ igitur ſolatium, vtilitati publicæ conceſſit; eoque lubentius, quod intelligeret Cellenſi toparchiâ non excedere; ſperaretque fore, vt quandoque ad veteris hoſpitij tecta, ſerenis conuerſa oculis, ex agro Foyenſi proſpectaret. Huius itaque ſæculi octauo, & decimo, educendæ in ſuam ædiculam imagini dies dicta eſt, vigeſima prima Nouembris. Idque conſultò. Quippe cum Virgini præſentatæ ſacra ſit, velut de integro, templo offerebatur in effigie, eiuſque viciſſim nomini dicabatur ſacellum, quod eam in rem multo periſtromate, varioque cul-
tu

tu erat exornatũ. Poſtquam dies aderat, profertur vmbella picturis, emblematis, elogijſque Marianis illuſtrata. Sub illâ (vt paucis abſoluam) in ſacra attalica veſte, ſolemni radians ornatu, iconem aureo affixam puluillo, manibus extulit Reuerendus admodum Præſul Leſſienſis. Quæ vero fuerit pompa ſupplicantium, ab arce Cellenſi, quæ dimidiato Foyam vſque diſtat milliari, non habeo dicere. Pia admodum & viſu peramœna res erat. Præibant agmen, ducenta ſub ſignis militaribus ruſticorum capita, armis exercitatiſſima. Pone iuuentus Dionantina, opiparo perſonata veſtitu, atque in ſuas claſſes, tituloſque diſtributa, Reginam militantis, ac triumphantis Eccleſiæ ſtipabat. Tum religioſorum virorum ſequebantur ordines quatuor, Dionanto euocati. Inde longo tractu, ſeriéque tædiferi, clerus, nobilitas innumeræque, ex omnibus locis, mortalium turmæ. Taceo plurima varijs in quadriuijs altaria, fauſtas Latino, ac Gallico verſu acclamationes, concentum præterea muſico-

rum, atque feſtas ſcloporum diſploſiones; denique pietatem omnium incredibilem, & excuſſas gaudio lacrimas, pijſſimo animorum motu. Vbi ad ſacellum ventum eſt, & ſplendido ritu ſacrificium peractum, celebritati eius diei finis impoſitus. Tantus verò ex tempore medullis omnium in ceſſit ardor, Foyenſem Virginem, quaſi dato ſigno, adeundi, vt nuſquam alio tantam hominum turbam confluxiſſe vlla prodiderint monumenta. Nec vmquam Virgo Foyenſis, tam multa, quam modò talibus velut obſequijs delinita, munificentiæ ſuæ produxit argumenta; quæ auara quaſi comprimebat manu, quamdiu paucis nota deliteſcebat.

Nunc te, ô cuſtos omnis felicitatis ædicula, tui etiam accenſus deſiderio veneror, atq; adoro. Anguſta quidem es locorum ſpatiis; at largitionibus cœleſtium donorum perauguſta. Itaque ſuperbis Regum palatiis mihi potior es, ac Baianis antiquior baſilicis, Volupiæ licet, riſuique conſecratis. In te enim deliciæ ſunt animorum; in te noſtra audiun-

diuntur, atque explentur vota, tantæ præſidis fauore, atque amore. Liceat igitur ſolum cui inſides, oſculari; liceat venerari nobiliſſimæ quercus veſtigia, quæ tam ſalutarem vitæ fructum miſeris extulit mortalibus. Tu deinceps mearum eris fortunarum præſidium, tu mearum ſolatium ærumnarum, & depulſis tandem huius vitæ periculis, tuo, vt ſpero, beneficio, quia meritis non poſſum meis, æternæ tranquillitatis portum ſecurus adipiſcar.

*PARS*

# PARS SECVNDA,

## MIRACVLA VIRGINIS FOYENSIS.

### AVCTORIS PROLVDIVM.

*Valetudinis commoda præcone haud indigent: norunt omnes, atque ambiunt: pluresque cæduntur Æſculapio victimæ, quam bonæ menti. Illam adeo tanti feciſſe traditur* Romano*rum ille terror Pyrrhus Epirota, vt præcipua inter ſacrificandum eius vota, non victoriarũ eſſent, aut multarum opum; ſed vel retinendæ, vel augendæ ſanitatis. Nec iniuriâ ſanè. Quid enim proſunt, aut oblectant ea omnia, quæ tot curis homines expetunt, ſi tanti boni præſidio ſint deſtituta! Nequicquam certe aurata laquearia, Tyriæ, atque mileſiæ veſtes, peregrinaque fercula iactantur; fruſtra apparantur ægroto. Plumea ſiquidem culcitra, vel eburneum cubile con-*

*chyliato vallatum ſerico nec breuem vrenti podagræ ſoporem elaborare nec inducias ardenti quartanæ tantillas impetrare poſſunt.* Ipſum *autem medica imbutum potione, aut prauis obſeſſum, vitiatumque humoribus palatum, etiam menſas deorum, cæleſti nectare & Ambroſia diffluentes tam abhorret, quam abſinthium, tam odit reijcitque, quam fel amariſsimum.* Ampliſ*ſimarum vero diuitiarum recordatio, & vndantes, ſalutantium amicorum cateruæ, odia ſunt, non ſolatia. Tam nihil ſunt omnia ſine dextra valetudine, exquiſitiſsimo rerum omnium condimento! Haud quaquam igitur mirum eſt, pleroſque mortalium equis, veliſque, naturæ ductu contendere, quo vel præſentem tueantur, vel amiſſam recuperent. Sed tum demum eius ſanitatis dignitas ac præſtantia, tot temere grauiſsimis obiecta periculis, ſerò agnoſcitur, cum feralibus domita languoribus toto corpore exulauit. Tum prodigis ſumptibus, frequentibuſque reuocata ſuſpirijs, munus á* Deo *conceſſum mortalibus, præclaro nomine vocitatur, ſine quo nihil ſit in hac vita iucundum, nihil expetendum omnino.* Itaque *ſi neque ſyru-*

*pis, ne-*

pis, neque malagmatis, neque omnibus totius artis medicæ myrothecijs reſtitui poſſit; tum cœlitum omnium ambitur fauor, adeuntur puluinaria, ſollicitantur precibus, & votis cunctorum auxilia: nec ante ſit orandi finis, quàm ſanitas aduenerit exorata. Et vero non vltima eſt æterni Patris in filios ſuos munificentia, ſalutarem multis in locis miraculorum gloria memorandis, humano generi pandentis apothecam. Id enim Deus immortalis, Sanctorum ſuorum dignitati, meritiſque non raro attribuit, vt illorum cauſsâ, certis locis ac temporibus, bonitatis ſuæ theſauros liberali profundat manu. Porrò, cum beatiſsimorum indigetum nullus æquè polleat apud Deum auctoritate, atque Mater eius ſanctiſsima; fit profectò, vt nullus omnium tam multa nobis eblandiatur beneficia, quàm ipſa. Longum eſſet, quid vbique gentium patrarit commemorare. Hocce verò temporis (quod fœlix fauſtumque ſit) in Foyenſi ſacello ſedem fixit; publicatiſque inibi fauoribus, totos ærumnoſorum greges, velut clariſsimâ prodigiorum voce inuitat. Copioſi ſcilicet fontis more, cuius ſi forſan alueolus aliquis obſtrua-

*tur, terebratis in aliam partem aditibus rurſum emicat, bibendáſque viatoribus aquas (ſi quidem velint) vbertim proponit. Solem certè, mundi oculum, etiam ipſa Solari trabeata fulgore, & puriſsimus cœli, ſolíque ocellus imitatur. Vt enim ille, vario ſucceſſu, alias atque alias orbis regiones, gratiſsimo atque alterno perfundit lumine: non aliter Virgo Deipara modo has, modo illas nationes glorioſis factorum ſuorum quaſi radijs permeat, mutatoque ſubinde domicilio totum viciſsim orbem terrarum beneficijs obligat immortalibus. Cæterum probatiſsima quædam Virginis Foyenſis miracula, tenui ſtylo, ſed temporum tamen ordine ſeruato, paucis exequar. Quibus & inexhauſtas bonorum ſuorum largitiones abundè teſtatur Dei Mater, & ignobilem quondam Foyæ villam præclaris iam illuſtrem titulis ſupra maximas effert ciuitates.*

MIRA-

## *Miraculoſæ à Virgine Foyenſi curationes, quo tempore in arce Cellenſi degebat.*

### CAPVT PRIMVM.

*Hernioſus mirabiliter conſaneſcit.*

PRima Virginei fauoris munera Martinus Pieletens ex Soreinna ( vicus eſt Foyenſi proximus) excepit : Erat is annorum ſex, & ſexaginta : & iam duodecim ipſos cum Hernia grauiſſime conflictabatur ; quæ paulatim eò tumoris proceſſerat, vt geminos æquaret pugnos, ingentiáq; alui tormina ſuo lapſu prouocaret. Ad annũ igitur ſextum decimum ſupra milleſimũ ſexcenteſimũ cũ ſeſe vis morbi intendiſſet, hominem adeo perculit, vt diebus quindecim ad extrema perduceret. Itaque humani auxilij ſpe deiectus, ad diuinum ocyus ſe conuertit, imploratáque Vir-

ginis

ginis Foyenſis ope, pollicetur ſe Foyam aditurum, ſi conſaneſceret. Nec miſtæ voto preces in irritum cecidêre. Quippe iam tum meliuſculè habere, & diebus pauculis iter facere inſtituit; atque ad locum, vbi fuerat imago (tunc enim apud Cellenſes morabatur) voto piè exſoluto, penitiſſimè doloribus exemptus, reliquam deinceps vitam placidiſſimè peregit. Id ipſe ad ſecundam Nouembris, anni CIↃ. IↃC. XIIX. grauiſſimis teſtibus in eam rem, atque in alia multa, quæ ſequuntur, miracula, auctoritate publica deſignatis, iureiurando affirmauit: eiuſque poſtea filius, religioſi vir inſtituti, idemque Soreimienſis Curio, litteris memoriæ cauſſa conſignatum, poſteritati reliquit.

---

## CAPVT II.

*Cœcus vſum oculorum recuperat.*

FAma tanti prodigij celeriter, vt fit, in finitimos, perlata, confeſtim omnes ad venerationem,

ſingularemque loci cultum, ægros inſuper ad certiſſimam valetudinis recuperandæ fiduciam accendit. Neque vana fuerunt auguria. Vix enim dies aliquot interceſſerant, cum ecce tibi nouum, atque admirandum in vulgus effertur. Halenio Fouchal Weenenſi, tum temporis annorum ternûm denûm adoleſcentulo, videndi poteſtas atroci cuiuſdam morbi violentia fuerat prorſus intercepta. Qua vehementer perculſus calamitate, mentis aciem, quando oculorum non poſſet, in cœlum erigit, atque totam in Virgine Foyenſi ſpem collocat, cuius profuſa in alterum liberalitas vario celebrata rumore, longè, lateque peruaſerat. Extemplo igitur ſpei plenus Foyam adducitur a mœſtiſſima propter filij caſum, æque & pientiſſima parente. Ibi ſtatim in genua ſuſpirabundi prouoluuntur ambo, atque ex intimis animi ſenſibus, & ille quidem, quam ætas ferebat ardentius, Virgini ſupplicant. Mira dictu res. Eodem temporis momento, quo cœperant comprecari, alterum oculorum apertum

ſibi ſen-

ſibi ſenſit adoleſcentulus; alterius verò vſum ita poſtridie recuperauit, vt è veſtigio (velut certiſsimis conſtat indiciis) abſceſſerit ad aratrum. Nolebat ſcilicet ijs iam affulgens locis ſtella matutina, clientem ſuum cæcitatis tenebris diutius affundi, & ſuorum expertem radiorum in mœroris caligine viuere.

---

## CAPVT III.

*Febricitanti paroxiſmus depellitur.*

POST tam illuſtria duo exempla, quin aliquid etiam impetraret, ægrorum nemo deſperauit. Ea res animos addidit, impulitque vehementer Ioannem Gerardi, Cellenſem, ad opem filiolo ſuo ſeptenni, Halenio itidem appellato, enixe flagitandam. Illum enim adeo minax occupârat febris, vt omnibus miſerandum in modum quateretur & perhorreſceret mēbris. Iamque pertinaciter vnam, alteramue ſeptimanam vrgebat; cum duram filioli ſortem miſerati pa-

rentes, malo, quà poterant, facturi medicinam, Virginem Foyenſem, quando fruſtra erant alia omnia, ſuppliciter, fidenterque, inuocant, adduntque, ſi diſcuſſa febris euaneſceret, votiua munuſcula cum puello Foyam delaturos. Neque hæc ſurdis auribus dicta. Febris ex eo tempore vnico iam in dies ſingulos contenta paroxiſmo pedetentim lenteſcere, ac tandem expletis, die D. Matthæo ſacra, votis, ac promiſsis, medullitus nunquam reditura abſceſsit.

## CAPVT IV.

*Tibia extra modum tumefacta ſubſidit.*

HAVD illo minus adiutricem Virginis manum, in diſsimili tamen periculo, ſenſit Margareta Parmentier, Buiſſon-villana. Alteram eius tibiam peracerbus dolor derepente, anno eodem, ac menſe Iulio ſic inceſſerat, vt non modò torqueretur atrociter; ſed etiam fœdum in modum

atra ſanie lurida, alterum tantum intumeſceret. Et iam vltrà ſæuus dolorum aculeus perferri non poterat, cum alia omnia quærenti ſolatia, venit in manus quercus eius fruſtulum, in qua abdita, ac reperta fuerat imago Foyenſis. Eapropter geſtiens, ac tam præſenti haud parum fidens amuleto, balneolum, odoratis herbis, alijſue corporum fomentis, procul abdicatis; ex pura puta lympha ſibi apparari curat; atque inter abluendum, ſacram iterum, iterumque allinens quercum ardenti malo, Virginis fidem conſtanter implorabat. Nec illam ſpes fefellit. Namque vt ipſius, filiique annos triginta nati, iureiurando compertum eſt, eadem hora tumor ſubſidit, & tibia in priſtinum momento reſtituta, magnum opis diuinæ documentum exſtitit.

## CAPVT V.

*Hæmorrhoides ſupprimuntur.*

NEc vero ad tenellos infantium vagitus mater Foyenſis obſurduit, ſed quo plus alieno egent auxilio, hoc promptius vocata adfuit. Ex honeſto, & liberali matrimonio filiolam Agnetem nomine ſuſceperat Dominus Iacobus Frahanus, Dionantenſis Proprætor. Sed illa propè ante funerata fuit, quàm viſa. Nam exhauſtum aſſidua octo ſeptimanarum hæmorrhoide corpuſculum anniculæ adeo diffluxerat, vt iam à medicis conclamatam vix traheret animulam. Parentes igitur opinione ſua iam mortuam Libitinæ, mœſti licet, conſecrârant: cum Agneti Pieleteus, matri ipſius, hæc derepente ſubijt cogitatio: fore dubio procul, vt puella mortis eriperetur faucibus, ſi in fidiſſimam Virginis Foyenſis committeretur tutelam. Illam itaque in arcem Cellenſem è veſtigio deportan-

dam, atque vnà ſacrificium curandum ſuſcipit. At periculoſo, vt rebatur, decreto Frahanus interuenire: mortem certiſſimam, non ſalutem peti, ſi in auras efferretur, clamitare: idemque etiam qui ſacrum facturus aderat ſacerdos, ſuadere, atque opinari. Mater tamen in propoſito perſtitit; appenſaque prius ad infantulæ collum, è quercu Foyenſi, cruce, Cellas prouolat. Neque vero ſuũ pio labori præmium abfuit. Vix itinere confecto in vrbem reuerterat, cum viſa eſt filiola conualeſcere, atque in alteram diem ita reſtitui, vt nulla ſuperſtitis morbi veſtigia ſint relicta. Eius rei fidem iurati fecerunt puellæ parentes ambo, nec non cum alijs compluribus, ipſe qui ſacris operatus fuerat ſacerdos, ad tertiam Nouembris, anno à partu virginis CIↃ. IↃC. XIIX.

# CAPVT VI.

*Cardialgia repentinò compeſcitur.*

DEIPARAE matri cordi eſſe pueros quis ambigat? toties certè ijſdem impenſus fauor facile, vt credamus, adducit. Anna Colartia, ſex, ſeptemue annorum virguncula, Matthiæ Colartij Treſſognienſis filia, fortè ſub alicuius diei veſperam, vehementi præcordiorum palpitatione iterum pertentata, cùm toto corpore friguturire, ac inaſſuetis ſudoribus manare cœpiſſet, animam certò agere credebatur. Caſu tam inopinato afflicti parentes, ſeſe quoquouerſum fruſtra vertere; cumque prorſus humana deficerent, ad diuina conuertuntur auxilia; Foyenſique Matre enixe implorata, ſpondent ſe filiolam ſuam, Foyá traducturos, curaturoſque ibidem rem diuinam fieri, quam primum Virginis, effigies in eam ſedem ex arce Cellenſi remigraret. Vix extremis labellis votum

exierat, cùm ſedata morbi tempeſtate, inculpata valetudinis ſerenitas, extemplo, vti compertum eſt, affulſit.

## CAPVT VII.

*Febricitans à medicis conclamata ſaluti redditur.*

VEI. meminiſſe Virginis Foyẽſis, ſaluti fuit. Per idem tempus, Annam Ioannis Pierartij Furfoyenſis coniugem, ſub trigeſimum quintum ætatis annum, immanis, atque inſolens morbus obſederat. Vulgò magicis faſcinatam præſtigijs, breuique de medio auferendam perſuaſum erat. Medicos, amans coniugis adierat maritus: at illi ſeuere pronunciarant, actum eſſe de illius ſalute, niſi eam Deus reſpiceret: ardere ſcilicet maligna febri, exitiali etiã veneno intoxicatam eſſe, adeoque triduo, aut ad ſummũ quatriduo moriturã. Chriſtianis igitur myſterijs præmunitur in mortem. Et vero iam exſpirabat, cum aſtãtium aliquis, Foyenſis Virginis memor, exſpi-

mor, exſpirabundam hortatur, ad eius auxilium, in illo tanto diſcrimine, pariter expoſcendum. Obſequitur illa quoad poteſt, atque (ô paratam Virginis in clientes manum!) eodem temporis momento, nonnihil periculo ſoluta reſpirauit; ſeque paucis inde intermiſſis diebus, omni morbo aſſertam, legitimæ rogata, ac iurata, cum marito affirmauit.

---

## CAPVT VIII.

*Lethifer catarrhus diſſipatur.*

VIRGINEM Foyenſem, tam in alios liberalem, & munerum ſuorum velut prodigam, in ſuum hoſpitem parcam, ac tenacem eſſe non decebat. Enimuero noſtræ Virgini tam turpis nota inuri non poteſt, quandoquidem aſſiduè cum illuſtri & addicta familia alternis concertauit officijs, atque hoc etiam, quod dicam, ad extremum cumularit. Henricus Cellenſis, perilluſtris Guilielmi Cellen-

ſis, ac Domini d'Enhez filius fuit natu maximus, idemque familiæ ſpes, & decus. Is ex illapſo in præcordia catarrho perniciabili, ſic intumuerat, eoque perductus iacebat, vt mortuo ſimilis, mortuus certè putaretur. Puelli mater pia æque ac perilluſtris matrona, in re tam ancipiti diffiſa medicis, ipſam Virginis Foyenſis imaginem, quam penes ſe habebat domi, filioli ſui labellis oſculandam applicat, vouetque ſe in id ſacellum, quod per ea tempora maritus ſuus exſtruebat, puellum albo, cæruloque, in Deiparæ gratiam veſtitum, iuſſuram deferri. Hoſpitem audijt, quæ cæteros audiebat, Foyenſis mater. Subitò enim, qui paullo ante omnibus deſtitutus iacebat ſenſibus; quaſi reuiuiſcens, apertis oculis circumſpicere, & eum in modum cœpit eſitare, ac ſi nullo tentatus morbo hactenus peregregie valuiſſet. Id fide ſua conteſtatus eſt perilluſtris D. d'Enhez, puelli pater, omnibuſque planum fecit, quanti foret Deiparam Virginem, familijs præſidem, atque hoſpitem eſſe.

CAPVT

## CAPVT IX.

*Oculorum vſus cæco inſtauratus.*

ETIAM Hugoni Maſſæo Caſtello-Thyenſi, Foyenſis caſtri lucidiſſimum iubar, oculorum tenebras diſcuſſit. Annos ille duos & triginta cum exegiſſet, ardente febri, quæ in eas regiones ea tempeſtate palabunda graſſabatur, tertiùm correptus, tandemque, malignis humoribus in oculos irruentibus, eſt occæcatus. Spem in poſterum videndi non modo morbi grauitas; verum etiam chirurgi Walcurienſis, M. Huberti Bleuuartij auctoritas omnino præciderat. Erat enim tam denſa oculis infuſa caligo, vt ſe iam regere, neque foris, neque domi poſſet, vel ipſius Paſtoris ſui teſtimonio, qui non raro periclitatus eſt illius cœcitatem. Poſtquam in medicis nihil opis eſſe apparuit, ſeſe nouendiali precatione ad Virginē Foyenſem appulit. Cũque Foyã Octobri menſe, anno huius ſæculi duodeuigeſimo petiiſſet, propitiam Virginē de ſua ſalute comprecatus eſt ita feliciter, vt

mox, aliquantum quidem; poſtea verò in totum abſterſa nocte, lucem oculis gratiſſimam recuperârit.

## CAPVT X.

*Alterius item cœcitas depellitur.*

IISDEM fermè diebus aliud haud abſimile contigit. Petrus Foyenſis, alias ab ſuo domicilio Treſſognienſis, vir ætate iam prouecta ſexagenarius, fortè (vt manifeſto ipſius indicio perſpectum eſt) diebus Cerealibus, inter defalcandum maturam ſegetem, acerbo oculorum ictus dolore, confeſtim orbatus eſt vtroque. Tres ſeptimanas ea res tenuit, adhibitis omnibus collyrijs, alijſque fruſtra medicamentis. Hærenti, & de ſalute deſperabundo, protinus Virginis Foyenſis occurrerunt prodigia, & paſſim iam celebratus in miſeros fauor. Seſe itaque in ſpem conſimilem erigit; Nec ſua illũ fruſtrata eſt opinio. Promiſſo, curatoq; in arce Cellẽſi ſacrificio, illo, quo hodieque potitur, redonatus eſt oculorum vſu.

*Virginis Foyenſis, ex quo ab arce Cellenſi ad Foyenſe ſacellum, ſolemni pompa ac ritu tranſportata commigrauit,*

PRODIGIOSÆ CVRATIONES.

Grauiſſimorum hominum, teſtiúmque fideliſſimorum auctoritate, fide, iureiurando conſignatæ, atque, vti & aliç ſuperiores comprobatæ.

## CAPVT PRIMVM.

*Tibiæ tumentis in integrum reſtitutio.*

QVOD Principibus recenter inauguratis, ſuaſque ditiones, feſtiuiſſimo triumphantium more, primum ineuntibus eſt ſolemne; vt vultu non minus liberali, quàm manu, aureos nimbos, variáque numiſmata, ſuis nominibus, atque ſymbolis inſignita, circumfuſç, plaudentique turbæ affundant largiter: hoc etiam auguſtiſſimæ cælorum, terrarum-

que

que Principi, fuit vſitatum non raro. Quæ cum melior omnibus, ditiórque ſit; tanto etiam largius munera ſua mortalibus explicat; quando mutatis ſedibus aliò, atque aliò commigrat, omnium hoſpes, atque regina populorum. Enimuero, ſi gentium vſpiam profuſæ fuit liberalitatis; Foyæ profectò luculentiſſima regiæ munificentiæ edidit ſymbola, præclaros in aduenas, atque alumnos velut aſpergens fauores; ex quo Foyenſium præſes inſcripta, atque inaugurata, ſibi ſummum ius ædiculæ, ritu, pompaque ſolemni vindicauit. Ac omnium quidem primum, ex eo loco, Laurentium Georquinum, alias Valenrium, nautam profeſſione, domo Dionantinum, clementer aſpexit. Immanis, atque magnitudine par ſuo corpori tumor, ſub annum vitæ quadrageſimum, dextram eius tibiam occuparat: & verò, ne quid abeſſet doloris, aut periculi, tanto cruciatu miſeros artus depaſcebat incendium, vt morti proximus, tantum non animam exhalaret: Deuorabatur tamen vtcumque dolor, quamdiu creditus

ditus eſt breuis; ſed poſtquam medici longius extrahendũ, vixque ſexto menſe depellendum denuntiarunt, tum ſpes in deſperationẽ vertiſſet, niſi perſuaſum foret, vt quando humana pigreſcerent ſolatia, ad expeditam Virginis Foyenſis opem conuolaret. Tam ſalubri conſilio haud grauatè acquieſcit; atque fruſtulo quercus Foyenſis in aquam immerſo, eâdem perfundit tibiam. Mira dictu, viſuque res; cum alto velut oppreſſus ſomno duas ipſas horas defectus viribus iacuiſſet: tumor è veſtigio repreſſus eſt, extinctoque ardore ſanitas integrata. cuius vel maximum fuit indicium, quod poſtera luce, Dionanto Ponti-Marchienam vſque, ſeptem paſſuum millibus, eoque amplius diſſitam, pedibus iter fecerit. Ita ipſe de ſe, cum coniuge Gertrude Henquartia, iuramento profeſſus eſt.

## CAPVT II.

*Cœco videndi poteſtas redonatur.*

ETſi plurima Diuorum meritis, atque amicitiæ, non tamen omnia, quæ ſuæ Matri, Deus concedit. Id ſanè experimento didicit Ioannes Mareenſis Feleinna, agri Agimontani pago oriundus, idēq; ciuis Hargnienſis. Cuius cum oculos caſus aliquis expilaſſet, loca omnia prodigijs inclita quadragenarius incaſſum adijt. Iſtuc ſcilicet muneris Foyenſi Virgini ſeruabatur. Neque ille abnuit poſtulare; neque Virgo in eum, quem ſubijciam, modum exhibere. Exeunte Aprili, anno poſt Chriſtum natum M.DC.XIX. Foyam ſpe alacer appulit: ſacellum ingreſſus, Virginem impenſius orabat, vt illa ſibi ab filio ſuo videndi poteſtatem impetraret: cum ecce tibi, repentino ſpaſmo, neruorumque conuulſione, miſerabiliter ita diſtorqueri incipit, vt exoſſari, atque diſcerpi facilè credi poſſet. Id certiſſimum abeuntis ærumnæ fuit augurium.

Nam, quantum ex Curionis, Senatuſque Hargnienſis tabellis publicis, eodem anno, ad decimam tertiam Auguſti datis ſciri potuit, in eo membrorum conflictu aperti, atque ſerenati oculi, iucundiſſimam lucem acceperunt, ſeruaruntque in hodiernum.

## CAPVT III.

*Tibijs ambabus captus derepente confirmatur.*

GRAVIOR NE ſit membrorum amiſſio, an eorundem æternus torpor, in dubio eſt, nõ paucis: mihi certe par malum videtur eſſe; parque beneficium, torpentia longæuo ſitu membra excitantis; atque reddentis amiſſa. Non tenuis igitur fauor Deiparæ Foyenſis extitit in Ioannem Sebaſtiani, ciuem Florinnensẽ, centenario vndecim annis minorem. Captus ille nouiſſimo ſex annorum ſpatio tibię vtriuſque vſu, nuſquam ambulabat, niſi genibus adrepens, fulcriſque ac geminis malleolis innixus. Itaque rem familia-

rem propè omnem in medicos, & narthecia dilapidauerat, cum ad alia conuerſus, peregrinari inſtitit, ſupplexque cœleſtia tentare, quandoquidem torperent humana. Quæ non igitur incredibili conatu circuit loca? Aſpricollenſem, Hallenſem, & quo non adijt? Nequicquã tamen omnia. Sentires Foyenſem Virginem omnium tunc temporis morbidorũ cauſſam ad ſe euocaſſe, ijſque velle ſola patrocinari. Et ſane peropportunè fortè euenit, vt noſtrum hominem, nouo, ex noua Foyenſium præconiorum famâ, concepto ardóre, ingens cupido cœperit Foyam adeundi: ſuoque obſecundans animo, ſe ad vndecimam Maij eiuſdem anni, protinus in viam dedit. Ad teli iactum ſacello propior acceſſerat, cum illi glaciale frigus circum tibias obrepere, & futuræ ſpem ſanitatis magnam facere cœpit. Duplicatis proinde votis, & procedendi ardore, ſacellum init, ſacerdotibus tum fortè Deiparam Matrem, hymno (quem Salue Regina, dixêre) conſalutantibus. Paucis Virginem ibidem precatus, tibias

bias primò confirmari, poſt etiam reſtitui deprehendit; quibus cum auſus eſſet periclitando inſiſtere, ſine vllo doloris ſenſu, ſine fulcris, aut malleolis fidenter ambulauit. Superſtitem tantum ex tanto morbo tumorem ſextus dies ad extremum abſtulit: quo ſpectantibus, Virginisque beueuolentiam efferentibus, magno numero, aduenis, ſolitos ſupplicantium ambitus, vnà cum ſacerdotum grege, qui rem ipſam ſunt conteſtati, firmo gradu peregit.

## CAPVT IIII.

*Aliud eiuſdem generis argumentum.*

DE integro fieri poſſe, quod factum eſt aliquando, ſi mortales opinentur; non immeritò Maria Emblonenſis ex Ouffeyenſi municipio, ſibi perſuaſit, fore vt ab languenti membrorum omnium torpedine conualeſceret, tam recenti recuperatæ nuper alteri ſanitatis exemplo. Nec verò falſa tranſuersā egit opinio, Quippe

pe vix promiſſum ad Virginem Foyenſem iter, languentes artus ægrè moliendo tandem exegerat, quin atrox ille atque inſolens morbus, qui decem, vndecimue annos, ita plumis affixam domi tenuerat, vt nec pedem efferre, nec circum larem domeſticum oberrare poſſet, confeſtim abſceſſerit. Conſtat certe ex Ouffeyenſis magiſtratus decreto, conſanatam omnino fuiſſe, valentemque adeo, ac vegetam ad ſuos Emblonenſes reuertiſſe, vt numquam primæuo iuuentutis flore, & vigore valentior fuerit, aut firmior.

# CAPVT V.

*Acicula gutturi infixa reuellitur.*

QVAM celebrata eſt adamantis aduerſus ferrum ambitio, quod ſuis excuſſum locis, occulta vi quadam ad ſe pertrahit; tam memorabiles fuerunt adamantinæ illæ gemmulæ, Foyenſis lapilli in prolicienda ferali acicula ex faucibus dolentiſſimè exſpirantis. Præclarum eſt certè, & poſterorum memoria celebrandum huiuſce rei, quod ſubijciam, argumentum. Anno ſalutis hominum aſſertæ M. DC. XIX. ſub exitum euaneſcentis Iunij, cum ſtrenuè ſe Ioannes Lambertus Meanus Weriſiẽſis ruſtico exerceret opere, caninam propè famem ex labore collegerat. Tertia itaque circiter pomeridiana, ad panem ſibi relictum à coniuge vorandum potiùs, quàm edendum accingit: cumque nullo alio, quàm famis, condimento, irritata gulâ, denſim conſertimque, diductis largè faucibus, abli-

guriret; ecce illi derepente, ad tertiam, quartamue bucceam (vti poſt modum euentus docuit) ex infixa tranſuerſo gutturi acicula, ſubortus eſt dolor intolerabilis. Conatur quidem vi multa, compreſſo, contortoue gutture, hærentem iugulo buccellam abſorbere: verum hoc tantùm ad extremum efficit, vt defriato, atque intrito pane, ſola altius figeretur, ac perſiſteret acicula, ſpiritumque tandem proximè interciperet. Oculis proinde caligine lethali ſuffuſis, atque extrema patienti, tantum virium, & alleuamenti Virgo Foyenſis implorata addidit, vt eius ope domum ſe retulerit ſub veſperam. Ibi tum augeſcente malo decubuit, totamque noctem, lenimentis fruſtra appoſitis, crudeliter inſomnem exegit, nunc interrupta ſpirandi facultate liqueſcens animis: nunc acerbiſſimis fodicatus dolorum telis. Igitur vitæ deſperans, ſaluti æternæ vt conſulat, Sacramentis omnibus ad agonem confirmari, prima luce, ſtudioſè poſtulat. Adeſt Paſtor Weriſienſis, atque animam ſumma difficultate expianti aures accommodat.

modat. Inde pro ſua ſollicitus ouicula, ad votis iterum pertentandam Diuæ Foyenſis clementiam, verbis, quibus poteſt, iacentem accendit: ſeque iam mox pro eius ſalute facturum pollicetur. His Lãbertus Deneuxius ægroti auunculus interuenit, eidemque roſarium, Foyenſi inſertum, ornatumque lapillo, magna religione offerens, collo implicat. Æger haud paucis videntibus lapillum gutturi, qua in primis parte morſu pertinaci, ſtringebat dolor, admouet, mixtiſque voto lachrimis pacem exorat. Nec mora. Tanto impetu ex imis faucibus ſponte diſſiluit, vt colliſa dentibus acicula augurio felici perſtreperet. Ex ore igitur digitis eductam, vxori primũ ſuæ, poſt toti aſtantium coronæ, lætus, ac iam tum ſanus exhibet: vnaq; Virgini beneuolẽtiſſimæ gratias peragit immortales. Cæterum, die D. Bartholomeo cõſecrata, votiuæ peregrinationis iter, cum ſuo Paſtore, huius prodigij ſcriptore, & rogato ad 24. Octobris teſte, alacer gaudio eſt executus.

CAPVT

## CAPVT VI.

*Claudicanti rigor tibiæ remittitur.*

TOT mirabilum pernix operum fama, etiam Mariam Logeam Walcurienſem, olim Adriani Sacratij coniugem erexit. Sex iam annos, cum ætatis quinquageſimum attigiſſet, turpiter adeo claudicabat, vt quãdoque nuſquam, vel certè non niſi fulcimentis innixa ſubalaribus, progredi poſſet. Nihil non egerat, vt conualeſceret. Medicorum apothecas exhauſerat: Diuos omnes, quotquot occurrebant, auxiliares, ſollicita prece, rogauerat. Incaſſum omnia. Iamque animus deſperatione torpebat, cùm repentino Virginis Foyenſis rumore excitatus, ſpem ingẽtem concipit. Anno igitur eodem, ad decimam ſeptimam Iunij, Walcurio proficiſcitur, libratoque paulatim corpore, Foyam octauo demum die pertingit. Illic ardentiſſima quæque vota, tridui interuallo depromit:

mit: ſed cum ſurdis canere videretur, exſpes & mœſta remeabat in patriam. Enimuero non negatur, quod differtur. Virgo certe abeuntem miſerata, cupitâ quidem, ſed iam inopinatâ valetudine impertijt. Vix enim Peregrinorum vallem, ad teli iactum à ſacello remotam, ſubierat, cum pedes ita reſtitui, firmarique cœperunt, vt tranſlatis in filium, quem comitem adlegerat, fulcimentis, ſacellum ipſa pedibus repeteret, actiſque Virgini gratijs, ſua fulcra tholis Foyenſibus tanti prodigij appenderet monumentum.

## CAPVT VII.

*Diſtortus ac monſtro ſimilis reparato corpore integraſcit.*

ABERRANTI ac deficienti naturæ, ſi diuina artificis æterni manus acceſſerit, nihil iam præſtantiæ, aut pulchritudinis abeſſe poterit. Itaque ſapienter illi Deũ appellant, quos inſolens natura, aut caſus ali-

caſus aliquis relegauit ad monſtra, generiſque ſui ludibrium. In quibus non immeritò Engelbertū Nimerleum adoleſcentem repono, Quatuor quippe annorum curriculo mancus adeo, truncus etiam, ac toto corpore diſtortus fuit, vt monſtro ſimilior eſſet, quam naturæ rationis capaci, Præcipuum alterius femoris os, in ventrem fœdo aſpectu reuocatum protuberabat. Iam nec ſtare poterat, nec incedere, niſi altera manu, malleolo niteretur, altera, genu premeret. Præterea dorſo incubans calloſo, in ſpeciem horrendam arcuauerat gibbus: atque penitiſſimè deformauerat. Tot itaque malis, medicinam à cœlo poſcendam ratus Petrus Nimerleus, ciuis Baſtonienſis, ac infortunati adoleſcentis parens; illum ocyus Foyam adducit, ipſo viſitantis Virginis feſto. Nec multis fuit exoranda Foyenſis heroina: tantùm præſtolari venientem crederes. Vix dum enim appellens conſalutauerat, quin ſublato, exutoque monſtro, decēti figura niteſceret. Ipſe inde ſanus atque integer, virgineo fruitur beneficio, remotoque

motoque omnis morbi veſtigio ,. erectus hodiéque incedit. Rem tam memorabilem, auditis certiſſimis teſtibus, curia Baſtonienſis, ne obliuione deleretur, monumentis publicis mandauit, tertio Calendas Septembris, M. DC. XIX.

---

## CAPVT VIII.

### *Neruorum compages firmatur paralyticæ.*

NOCTVRNO marcentes gelu floſculos iterum iuueneſcere, & rediuiua ſolis face quis neſciat excitari? Mulier profectò amicta ſole, marcidos, ac ſemineces hominũ artus, cũ illos ſerenis miſericordiæ ſuæ radijs perſtringere lubuit, continuò vegetat, feliciqùe imbutos ſucco floridulâ exhilarat iuuentâ. Id præter alios, quos ſubnectam plurimos, magno ſuo gaudio didicit Anna Grauiera Namurcenſis, Ioannis Ficheroulli Grandimauillæ villici coniux. Quadrienni morbo grauiter oppreſſa iacuerat,

rat, aſſiduis ſic fatigata languoribus, vt nec conſidendi, nec pedibus conſiſtendi fieret vſquam poteſtas. Nihil pharmacis, ac diætis; nihil ſalutatis tutelarium Diuorum liminibus; nihil denique ſacris adiuramentis, frequenter licet iteratis, promotum fuerat. Sola Foyenſis Virgo periclitanda reſtabat; nec verò ſpei perparum inde affulgebat affectantibus vndequaque ſanitatem. Igitur ad quartam Iulij, cum præ languore ne quidem veſtiri tutò poſſet, ſuo inſtrata lectulo Foyam à marito, curru deuehitur. Sed, ô fauorem Virginis expeditum! vix illa Grandimauillæ ſepimentis auecta tantillum proceſſerat, quin viſa eſt ſibi, nec certè falſò, roborari. Matrem proinde, quæ ſolatij cauſſa comitem ſe adiunxerat, domum velut deinceps inutilem ſibi, remittit: Foyæ verò cum eſſet, proque ea Magiſter Guilbertus Fauchetus, Gemblacenſis Procurio, nouendiali ceremonia ſupremo numini, magnæque matri litaret, præſens ipſa aderat quotidie, tantumque reuireſcebat in dies ſingulos, vt tandem geni-

genibus nixa, quaternis ſacris intereſſe potuerit, atque exinde, licet aliquãtus in tibiis languor perdurauerit, non modò rem domeſticam, ſed ex ſua domo Gẽblacum vſque pedibus iter ſit executa, velut conſtitit ex tabellis anno eodem, idibus Auguſti, fide publica conſignatis.

---

## CAPVT IX.

*Apoplectica lateris ſtupore, ac frigore depulſo reuireſcit.*

EODEM quo ſupra Virginei Solis calore ſolutus eſt rigor apoplexiæ. Anna Barrea Lamberto Maloteauio, inſtitori Namurcenſi, honeſto ac liberali matrimonio fuit copulata. Hanc anno poſt vindicatos ab orco mortales M. DC. XIX. ſub ferias Pentecoſtes, inſignis apoplexia corripuit, ſiniſtroque latere intercepto, & quaſi ſiderato, ad ſcipionis præſidia compulit, ſi ſe vſquam mouere conaretur. Eo tamen ſtatu viam Foyenſem ex voto permenſa, cum inter ſacrorum ſolemnes

ritus, adoranda populo ſublimis exhiberetur hoſtia, ſtatim toto ſudare corpore, ac debilitari; ſed vnâ valetudinem recuperare in ijs cœpit anguſtiis. Siniſtrum etenim latus (vti ad quartam Septembris iuratum fuit publicitus) natiuo inſtauratum calore, liberam morbo mulierem reliquit.

## CAPVT X.

*Artuum languor, atque imbecillitas ſtabilita.*

HAud etiam minus diuinæ iſtius flammæ concepit Maria Mierbenſis, è Fromnieâ curiæ Gerpinnenſis pago, quæ diuturnis implicita morbi moleſtijs vix animum ab ægritudine, corpus autẽ à ſtrato releuauerat biennio toto. Ab ipſo enim Diui Andreæ feſto, anni poſt Chriſtum M.DC.XVI. nec incedere, nec auras ferre potuerat: cumque medicatis potionibus, aliquouſque vitam miſerabilem fouiſſet, atque tot iam malis eximi crederetur

tur, eodem ad extremum recidit, ineunte verno ieiunio, anni M.DC.XIX., ſexque ipſos menſes elanguit. Illo igitur malorum reuoluta, medicos iterum adit, qui quam poſſent ingraueſcenti medicinam peſti facerent: ſed quam ope celeri debebant animare, ſpem omnem diutinâ iugulauerunt morâ. Ergo ad præſentiorem valetudinis officinam, Mariam hoſpitem, Foyam ablegant pro ſua ſalute Virgini ſupplicatum nouendiali prece. Neque vero facti pœnituit. Iam tum morbo ſenſim alleuari, atque adeo gratitudinis teſtandæ cauſſa, menſe Iulio, votiuum iter per ſe ſuſcipere, marito, ac Magiſtro Gaſparo Lamberto, Gerpinnenſi ſacellano comitantibus. Porrò vt Dionantum attigit, cùm multo meliuſculè habuit, tum iterata nouem dierum ſupplicatione, confirmatum corporis robur ſuis reuerſa penatibus intulit: rurſumque inde lætitia geſtiens Foyam pedibus recurrit, ingentem Virgini gratiam habitura ſuorum gaudiorum auctori, & ſeruatrici. Ac ne id cuiquam dubitatum foret, Gerpinnenſis

nenſis curio, cum alijs ſupra nominatis, iuramento fidem fecit, ad tertium Idus Octobris. M.DC.XIX.

## CAPVT XI.

*Alter oculorum cœco redditur.*

TRES illæ quidem mulierculæ Virgineæ facis æſtum ſensêre: hic vero, qui ſubiungitur, lucem etiam aſpexit. Libillonus Liuetius duorum & ſeptuaginta annorum ætatem agebat, felicem profecto, ſi non triſtis euentus aliquis funeſtaſſet: Illi enim dexter primum oculus purulenta liquente pupilla defluxerat, , anno deinceps altero ſiniſtrum fortuitus tumor ſic obduxerat, vt obſeratis palpebris neque lucem exiguam haurire, neque ſe regere, niſi alieno ductu, atque arbitrio omninò poſſet. Nemo homo vixit ea tempeſtate Domcherii (Gallicum eſt ad Moſam, diœceſis Rhemenſis oppidulum) aut locis vrbi iſti finitimis, qui non eius rei, quam narro, fuerit appri-

mè conſcius. Foyæ certè vulgatiſſimus exſtitit vel ipſo prodigio Liuetij caſus. Quippe cum ſe illo, ad decimam ſextam Iulij, Virginis patrocinio fidens aduectaſſet, ſacris continentibus quinque precabundus interfuit, ab aris non abſceſſurus Foyenſibus, niſi votorum, quæ geminabat, compos factus, vel alterius oculorum vſu potiretur. Nec precibus inſtantem vlterius ſuſtinuit Virgo: ſed inter arcana effata ſacrificij ſexti, reſeratis palpebris, atque in priſtinum reſtitutis, ſiniſter derepente oculus diuino munere ſic eſt integratus, vt ſe ille ſuopte ductu quolibet agere pari ratione poſſit, atque ſi nunquam orbatus oculis, inuiolatam eorum poteſtatem perpetuò ſeruaſſet. Cuius rei certiſſima ediderunt teſtimonia M. Ioannes Barillius Domcherianus Curio, ad duodecimam Auguſti, atque ad ſextam calendas eiuſdem, ſenatus ipſe ciuitatis Domcherianæ, anno huius ſæculi decimo nono.

CAPVT

## CAPVT XII.

*Ingens capitis dolor momento exulat.*

NON ſolùm in ſe Foyenſem Virginem, ſuam, vt diximus, hoſpitem, ſed in alios quoque ſua cauſſa vidit liberalem perilluſtris Dominus d'Enhez. Teſtantur equidem inſtrumenta publica ad decimam Augu-ſti eodẽ anno confecta, Ludouicũ Iacobi Poriniauxij, ſimulque Mariæ Rochet-tiæ Treſſognienſis octennem filiolum, ingenti adeo capitis atque ſtomachi nauſeabundi procella iactatum, vt cum præſertim nihil adiumenti ſuccurreret, maxima ex eo ſpectaculo aſtãtes miſeri-cordia commoueret. Ipſum etiam per-illuſtrem Dominum d'Enhez tetigit: qui cum alterius negotij gratia tum for-te interueniſſet, multaque remedia ne-quicquam indagari cerneret; memor Foyenſis Virginis, cuius ipſe aliquando municeps bonorum, nunc etiam prædi-cator exiſteret, prodigioſæ quercus fru-

ſtulum labellis puelli ſpe plenus curauit inſeri. Id ſedulo languentis mater exequitur, additque ſe filium ſuum Foyam vſque delaturam, ſi præſentibus ſolueretur doloribus. Mirum dictu. Voto nuncupato, extemplo ſæuiſſima artuum omnium tempeſtas poſuit; pacemque ſibi redditam probauit infantulus, auide tunc temporis eſitans: atque magna ſua voluptate colluſitans æqualibus. Promiſſis itaque rite perſolutis, & itinere Foyenſi decurſo, ſalutata Virgine, ſanus in poſterum atque integer perſtitit.

## CAPVT XIII.

*Hernioſus inſperatò conualeſcit.*

INFIDAS mortalium artes ſatis iam expertus, ſe quoque ad probatiſſimam Partheniæ manus induſtriam contulit M. Philippus à Pratis Aubriuius, idemque Stauenſi præfectus Eccleſiæ. Septem, octoue annos pertinax, & nulla ſanabilis ope miſerum hernia diuexauerat: cum iam vlterius

ferendo vix eſſet, atque ex allapſa fama mirabilium operum Foyæ patratorum, eò adeundi conſilium cœpiſſet, ita repẽtinò vis mali repreſſa eſt, vt faſcijs amandatis bene multum ſecurus ambularet. Cùm verò etiam peregrinandi voto ſe alligaſſet, nunquam amplius erupturam quaſi vinculo quodam herniam ipſe ſuam obligauit. Id eodem anno ad octauum Auguſti ſanctè aſſeuerauit, fide (vt aiebat) Sacerdotis.

## CAPVT XIV.

*Alter itidem hernioſus ſanatur.*

SIMILEM non abſimili morbo confidentiam obtulit tam de facili parta ſalubritas. Guilielmum Henrici, Scabinum Boyſellenſem, grandis octoginta annorum ætas, atque ex eò viribus ſenectute iam enectis intolerantior hernia occupârat. Sed latus alterum ſæua pernicies potiſſimum infeſtabat, atque elapſa ventriculo, inſtar pugni tumeſcebat. Diutini illæ pertæſus la-

boris,cum alia deſperaret omnia, fiduciam in Foyenſi Deipara collocat, atque certo ad veſperam die, eadem votis ardentibus implorata,ſopori ſe committit. Nec vero clientis expectationẽ patrona Foyenſis eluſit: namque intempeſta nocte, ſomnianti, an peruigili, incertum eſt, ſpecies tamen Virginis oblata ad bene de ſe ſperandum erexit; vultuque blando manu poſtulata valetudinem certiſſimam compromiſit. Nec abfuit promiſsis fides. Die inſequenti, morbo tandem exemptus, haudquaquam inania delirantium figmenta,ſed Virginem certò fuiſſe comprobauit; omnemque dubitanti anſam ſuſtulit,quo minus tam inſperata ſanitas à cœlo profecta crederetur. Senem verò ingenti delibutum gaudio nulla vnquam tenere potuit ſatietas, quin incredibili animi ſui motu centies rem tantam enuntiaret, meritaſque Virgini gratias actitaret.

CAPVT

# CAPVT XV.

*Membrorum vſu deſtitutus de integro vegetatur.*

FVIT per idem tempus Stephano Ioannis Boucherii Lierneuxienſis filio, membrorum omnium validiſsime roborata compages, Foyenſis Virginis fauore, atque adiumento. Septem quippe menſium languor ita decennem elumbauerat, vt vix aliqua non tam incedendi, quam reptandi facultas à fulcimentis ligneis impetraretur. Porrò iure optimo de ſalute filii ſollicitus parens, nihil non moliri conſtituit, quod officium, paternuſque animus in hanc rem videretur expoſcere. Alterum proinde filiorum, ægroti germanum, Foyam è veſtigio deſtinat, omnium optimam ſalutatum matrem, opemque miſello fratri corrogatum. Paruit ille quàm ocyſsime, atque aliquod eblanditus eſt quidem à Virgine, ſed illud exiguum, & paterno

longè impar deſiderio ſolatium. Ratus igitur pater ſuam auctoritatem, filij precibus antiquiorem fore, ſe ipſe itinere peragrato Foyenſibus tectis præſentem ſtitit. Ac dubio procul euicerat, quod poſtulabat, niſi vel fides ipſius forſan vacillaſſet, vel æger etiam Foyæ poſceretur maiori multorum bono, Virginiſque gloria conſanandus. Nec mora: ampliata gradatim fide, adductoque Foyam paruulo, Deiparam inflexit tantopere, vt integerrima ſanitas conſecuta lætabundos comitaretur domum, teneretque deinceps nullis morbi reliquijs imminuta. Fulcra ſubalaria Foyenſibus tholis appenſa, quà ingentis miraculi, quà impenſę gratitudinis monumentum fuêre. Ad decimam porro Auguſti, anno vndeuiceſimo, memoriam iſtius facti ſcriptis commendauêre, qui in Foyēſi ſacello animis præſunt expiandis fide digniſsimi Sacerdotes.

CAPVT

# CAPVT XVI.

*Benedictini ſacerdos inſtituti brachiorum ac digitorum vſuram recuperat.*

NON in finitimos modò, ſed in remotiores etiam Hannonas cœleſtis reginæ liberalitas effuſa longè latè percrebuit. Rem attexam ijſdem fermè verbis, quibus ille, qui tam luculento potitus eſt beneficio, nuper exarauit, Sua igitur manu conſignatam, atque Abbatis ſui Reuerendi admodum Patris, ac Domini, in Diui Giſleni cœnobio apud Hannonas, Præſulis ſigillo confirmatam, hoc ferè modo, teſtem miraculi ſcripturam edidit:

Ego ſubſcriptus Dominus Antonius Crulayus Benedictini ordinis in monaſterio Diui Giſleni religioſus, triſti infortunio brachiorum, manuum, ac digitorum, ſex integros menſes, eóque amplius vſura viduatus, neque ſacroſanctis operari myſterijs, neque manus

ſupra

ſupra vmbilicum efferre poteram, niſi alieno ſuffultus adiutuſq; miniſterio. Atq; vt paucis expediam; perueſtigatis, probatiſque pari ſumptu, atq; dolore fomẽtis, remedijſque humanis omnibus, multo ſatius eſſe duxi, quandoquidem incaſſum verterent omnia, diuinam ſollicitare clementiam, quæ ſua potente dextera noſtras omnes moleſtias momento poteſt abſtergere. Bona igitur Præſulis venia, ſpeque ingenti concepta fauoris, ac ſolatij alicuius à Matre miſericordiæ aucupandi, votiuum iter Virgini Foyenſi, quæ propè Dionantum colitur, nuncupaui. Ea propter in viam me dedi exſpirante Septembri menſe, anno poſt Virginis partum M. DC. XIX. Poſteaquam Dionantum appuli, aliquem rogaui è Societate Ieſu ſacerdotem, qui me Foyam comitaretur, atque ibidem in Virginis ſacello mea cauſſa rem diuinam exequeretur. Poſtulatis annuentem omnibus vlteriùs obteſtatus ſum, vt in eo ſacrificio, Reginæ cœli, ſuis me verbis enixè commendaret, quo id ſaltem ab ea, ſi luberet, mu-

neris aufferrem, cuius gratia tam longinquum iter ſuſcepiſſem, ſtudioque nunc ſupplicarem ardentiſſimo: vt nempe ſi diuinæ conſentaneum eſſet voluntati, neç meæ ſaluti aduerſarium, ea præſertim inſtaurarentur membra, corporiſque ſtupentes artus, qui ad incruentum miſſæ ſacrificium forent pernecesſarij. Mea deſideria apprime præſtitit bonus Pater. Ego verò ad finem ſacri, mentem animamque epulis pavii cœleſtibus, ac voto, quà licuerat, exſoluto, viam monaſterium verſus relegere cœpi, nondum abiecta, ſed eâdem, qua pedibus veneram, confirmata ſpe valetudinis breui rediturae. Atque illa quidem, intra monaſterij ſepta gradum inferentem, obuijs vlnis in ipſo reditu (ô tuam Virgo munificentiam!) excepit. Brachia quippe, manus etiam, atque digitos adeo repente paralyſis ac plumbeus ſtupor abſoluit, vt iam tum nullo impedimento, aut cruciatu fas eſſet ſuſtollere, quantum vſus poſtularet. Manus, antea in quemlibet torpentes motum, in priſtinum vigorem ita ſunt redditæ, vt digiti

gitiprincipes quatuor ad ſacrificium habiles, officio non inuenuſtè fungantur ſuo. Sex alij quidem aduerſum manus palmam appreſſi, atque vnci perſtitêre. Nullum autem ex eo tempore diem prætermiſi, quin ad teſtandam, faciendamue tanto miraculo fidem, atque ad debitam Magnæ Matri gratiam referendam peregerim ſacrificium.

## TESTIMONIVM

*Reuerendi admodum Præſulis, ac Toparchæ cœnobij, atque oppidi Diui Giſleni.*

RELigioſus hic Dominus Antonius Crulayus iuſſu meo compellatus, ac eruendæ & propalandæ veritatis gratia, ſuper hoc negotio, ſolemni formula, interrogatus, Deum in primis atque ſanctiſſima religionis ſuæ vota teſtatus, ſanctè reſpondit, ac iureiurando confirmauit in eum modum tranſacta omnia, in quem paulo ante commemorata, ſcriptiſque tradita ſunt. In cuius rei fidem, ac memoriam ſempiternam, mea manu, ac ſigillo fideliter obſignaui, ad decimã

quintam

quintam Aprilis, anno ſupra milleſi-
mum ſexcenteſimo viceſimo.

Ita eſt.

*Dominus Gaſparus Boßutius, D. Giſleni in Hannonia Abbas*

Infra verò adſcriptum erat.

*Dominus Antonius Crulayus.*

---

## CAPVT XVII.

*Cœcitas iterum profligata.*

IOannam Burſellenſem ex Herbeuaco municipij Iuodienſis pago, cœcitatis immerſam tenebris nox alta ſenis menſibus implicauerat. Eam vt recepta luce depelleret, ad coruſcantem multa prodigiorum fama Foyenſem ædiculam, ductoris fidi prehenſa manu, ex voto proficiſcitur. Nec caſſo deſudatum labore. Tantum quippe luminis ſemipulſa caligine ſtella Foyenſis communicauit; quantum miſſo ductore ſatis eſſet ad remigrandum in ſuos lares. Et verò magis, magiſque v-

trumque

trumque lumen inibi clareſcere, teſtatus eſt iſtius loci Paſtor, eo, quo id contigit, menſe Iulio, anni M. DC. XIX.

## CAPVT XVIII.

*Gemina proles abortu effuſa, vitæ reſtituta.*

EIuſdem anni decurſu, ac menſe auguſto, memorabili⁹ quiddam in diœceſi Namurcenſi accidit. Mazeretæ Curionis ſoror, immaturo partu, geminas puellas exanimes magno ſuo dolore profuderat. Non illam adeò corporum, & charæ ſobolis, ſed infelix animularum iactura torquebat extra modum. Atqui non ideo ſeſe mœrore obruta deſeruit; at tantò impenſius, quantò funeſtius erat periculum, gratiæ ac vitæ parentem ſub auſpicijs Foyenſibus implorat. Tantum valuere fiduciariæ preces, atque lachrymæ, vt ſtupendo miraculo infuſæ gemellis corporibus animæ, baptiſmalibus vndis tingerentur à Paſtore puerperæ fratre, qui audientibus Sorein-

nenſi Curione, atque vno è ſacellanis Foyenſibus, huiuſce rei conteſtatam aſſeruit veritatem.

## CAPVT XIX.

*Alia rurſum hernia curatur.*

HAud minus alteri quadrimo profuit ad Virginis præſidia cófugiſſe, pernicioſis vrgentibus malis. Fuit is, de quo agimus, Petri Berlenſis, atque Florentiæ Moninæ ciuium Maiſnillenſium filius: quem cum adhuc tenero imbecillum corpore, ſæuientis herniç tumor anno medio toto vehementer afflictaret, ſtatim atque pro filioli ſalute Foyam ſe ituros addixerunt pij parentes, obducta cicatrice, nec non labe compreſſa, ex toto conualuit. Huius facti multis præſentibus teſtimonium edidere parentes ipſi, alijque plurimi, Septembri menſe, anno eodem, quo ſupra, decimo nono.

## CAPVT XX.

*Calculus ope Virginis ex Vreteribus extunditur.*

IPſam quoque Honorinam Comperiam Aiſeauxienſem, maritali quondam fœdere cum Philippo Behario coniunctam, nunc autem atroci calculo grauiter affectam, aliquid à Foyenſi matre ſpes obtinendi cœpit. Incredibili fretam fiducia, multorum iam exempla faciebant, dudumque Foyam prouolaſſet, niſi vel immanis ægritudo, vel quidpiam aliud penatibus excedere vetuiſſet. Illò igitur alium celeri pede tranſmittit, certaſque preces coram Virginis effigie recitari imperat; quibus vel hoc in primis poſcebatur, vt conceſſa reſpirandi mora, æſtuantem vreterum, ac calculi procellam ſua bonitate compeſceret. Etiam abſentem Virgo exaudijt. Die enim exinde quarta calculum vnum, vnáque diuturnum dolorem expulit. Cuius rei con-

conteſtata multorum teſtimonia eodem anno, ac Septembri menſe, cum alijs non paucis excepit ex ijs vnus, qui in ædicula Foyenſi, tribunalibus arcanis præfecti, ſumma poteſtate ſuis aduenas exſoluunt piaculis.

## CAPVT XXI.

*Imminuta videndi vis iterum augeſcit.*

TEſtatum etiam, ac ſua Foyæ ſigillatum manu, Soréinnę, atque Druhanſiæ Curiones, vnà cum Ioanne Grangio, ad Decembrem eiuſdem anni, voluêre, eundem Grangium tanta oculorum ægrimonia annis denis quinis laboraſſe, vt cryſtallinis ei ſpecillis vtendum foret, ſi quos legendo characteres certò aſſequi vellet. Permoleſtum id, nimiumque durabile malum videbatur. Se itaq; Foyam contulit, eiuſque præſide pijs animi ſenſibus inuocata, ſic ope Virginea perpurgati ſunt oculi, vt ſpecillis valere iuſſis, ſuapte vi atque induſtria ſufficerent ad

quaſlibet etiam fugientes litteras contuendum.

## CAPVT XXII.

*Tibia claudæ rigor diſſoluitur.*

EXtremus omnium, quos hic attexere eſt animus, ad miſerorum aſylum claudus acceſſit: verum non exhauſtam ideo Virginis manum, at perpetuis perennem bonis etiam expertus eſt, ſuorum ſummâ votorum impetratâ. Illi Ægidius Matho nomē fuit; patria Struum, in diœceſi Namurcenſi, Mangroullenſis curiæ viculus. Iam quindecim annorum ſpatia decurrerat, cum inopinata neruorum contractio tibiam alteram inuaſit, atque ita ſex menſibus tenuit, vt & ſummis adoleſcens ſtimularetur angoribus, & nuſquam incederet, niſi turpiter inæqualibus niſijs vacillaret. Huic ærumnę tantę remedium quærentibus, nullum aliud pręſentius occurrit, quā Virginis Foyenſis propitia ſemper in afflictos, atque

ex-

expedita facilitas. Illâ itaque fidenter appellatâ, votoque adeundi, atque ſacrificium ad aras Foyenſes curandi nuncupato, quaſi præpotentibus herbis, aut infuſo quàm efficaci pharmaco ſolutus rigor, tibiam inertem adeo repente laxauit, vt æquatis paſſibus nihil iam in inceſſu deforme, aut hiulcum appareret. Atque vt tantæ rei apud poſteros extaret fides, ab ipſomet Ægidio Mathio, alijſque auctoritatis inculpatæ teſtibus, accepit Foyenſium Præſidum aliquis, litterarumque monumẽtis fideliter inſcripſit, menſe Aprili, anno reparatæ ſalutis humanæ M. DC. XX.

## COROLLARIVM.

QVod nunc poſtremum & ferè recentiſſimum pro corollario adijciam, non vt ab interprete, quemadmodum priora hactenus, ſed vt à primo ſcriptore, & eo quidem, cui ipſe beneficij compos & voti reus enarrârit, pro certo itẽ & explorato acceptum velim.

Vni ergo è Patribus Societatis IESV,

Theologię perito, & eius quondam Profeſſori, ac iam grandæuo (quippe annum ſeptuageſimum primum ętatis tranſgreſſo) tum cum in certis Belgij locis adhuc ageret hæreretque peſtilitas, prægrande hulcus ſubter alteram aurem enatum eſt: cui & accedens febris eò vſque periculum adauxit, vt à medicis de vitâ conclamaretur. Huic igitur ex contagionis metu à ſocijs ſequeſtrato, ac neceſſarijs ad exceſſum Sacramentis præmunito, ſubijt in mentem Deiparæ Foyenſis ter fauſta memoria. Eius proinde expertam multis opem fidenter implorat: lapillum vnum ex ijs qui è vicino Foyæ agro eruuntur, quem tum fortè penes ſe habebat, accipit, hulceri admouet, eodem ſanctæ crucis ſignum apprimit: aquam inſuper, cui lapillus ſacer immiſſus, epotat: votúmque poſtremò adijcit:

*Si Virgo* Foyenſis *vitâ periclitantem, præſenti diſcrimine eximat, ſe in eius beneficij gratiam quinquies ſacris operaturum, è quibus quidem ſacris, tria ad eius* Foyenſem *aram ſuſceptâ peregrinatione peracturus ſit.*

Nec diu poſt votum hoc, à pientiſſimâ Virgine, medela delata eſt. Eadem ipſa hora & matureſcit hulcus & rumpitur. Reuerſi ergo poſtera die medici rem mirantur & aſſignant miraculo. Nam exinde res prorſus ſaluæ, & is Pater etiamnum perſoluto voto perbene habet, ac pro virili ſua in Domini vinea collaborat. Hęc Septembri menſe anni ſuperioris, CIↃ. IↃC. XIX.

*Ita teſtor*

FLORENTIVS DE MONTMORENCY

*Soc. Ieſu Prouinciæ Gallo-Belgicæ Præpoſitus Prouincialis.*

# EPILOGVS.

HÆC pauca tibi, Lector beneuole, de multis ac propè innumerabilibus Foyenſis heroinæ prodigijs atque præclaris facinoribus in medium attuli, non vt lenocinantibus verborum pigmentis; aut cupitâ rerum nouitate, aurium tuarum, atque oculorum blandirer, ac indulgerem cupiditati; ſed quo reuocatis ad meliora ſenſibus Magnam Matrem mellitiſsimam hominum parentem, atque dominam longè optimam, breui, ac rudi tabella contemplandam exhiberem; & ſubiectis quaſi facibus ad capeſſendum eius cultum, opemque quà animo, quà corpori, cùm vſus exiget, poſtulandam accenderem. Ac de corpore quidem haud ſumus admonendi; ſed animum Deus quoque, atque etiam in primis vult curari; non modò quia hominis præſtabilior eſt portio, ſed quod plerumque firmum corporis robur, ac ſanitas ab animi ſtatu pendeat: cuius proinde, tamquam vitæ princi-

pis,

*pis, morbo, atque interitu, non rarò viciſſim corpus ægreſcat, pereatque. Iam verò ſi vel hunc, vel illud ægritudine fortuitò labefactatum Foyenſis fauor aliquando attigit, reſtituitque, cauendum eſt profectò ne grauiſſimarum reis pœnarum turpiſſimæ ingratitudinis inuratur nota: quin potius danda eſt opera diligenter, vt omni cultu, atque elogio immortali ſtellam illam, cuius aſpectu malorum omnium tempeſtate ſumus erepti, proſequamur. Multorum equidem nos aliorum pudeat, ſed in mentem nobis haud quaquam illabatur, ſilentio ruſticè verecundo prodigioſam amantiſſimæ Virginis munificentiam, quam in noſtris calamitatibus ipſi ſenſimus, præterire. Quin accepti memores beneficij, gratitudinis ergo dicamus:* INTROIBIMVS in tabernaculum eius: adorabimus in loco, vbi ſteterunt pedes eius. *Atque ita bona, Virginis venia Foyenſem ædiculam, mole quidem & murorum ambitu humilem; at ampliſſimum ſanctitatis, diuinæque virtutis domicilium ingreſſi: adeoque flexis ſubmiſſi genibus in hæc verba ſanctiſſimum fœderis arcam alloquamur: Tibi ô homi-*

*num deliciæ, ô mundi ocelle, ô corculum amoris Maria, tibi inquam, ariſque tuis ſacratiſsimis primitias laboris, ac induſtriæ meæ conſecratas adfero. En illos habes primos officij in te mei conatus, atque animi tibi addictiſsimi qualemcumque teſſeram; ſi non illam quidem tuis parem meritis, atque dignitati; meæ profectò tenuitati non imparem; ſed luculentiſsimum audentis ſupra vires deſiderij mei ſtudijque monumentum. Quare in tuam nos clientelam ô hominum præſidium: aſſere, muneribus aſperge cœleſtibus, atque tot impendentia huius vitæ diſcrimina procul à ceruicibus noſtris in tartareũ gregem auerte. Sed hanc præſertim regionem vniuerſam iure tuo tibi vindica, & quandoquidem à fide Foyenſe tibi nomen trahitur, hæreſeon monſtris vitijſque longiſsime profligatis, Catholicam fidem ſartam tectam, qualemque à maioribus acceptam, huc vſque retinemus, his in locis æternum foue, nec diui Petri cimbam decumanis hoſtium fluctibus hac tempeſtate verſatam deſere, verum placidiſsimam Alcyonem gratiſsimæ illi tranquilitatis indicem te præſta. Salue iterum,*

*iterum-*

*iterumque felicis augurij ſtella; quæ noſtro ſplendeſcens hemiſpherio fauſtiſsimam toti mundo facem tum temporis extuliſti, cum luctuoſæ Europæ minax, atque ſanguinolentus cometes formidinem virgata ſua cauda miſeris mortalibus importauit. Suis illum furoribus, tuo, vt ſperamus fauore exarmabis, cœloque pulſum in perduellium caput extundes, ac deinde meliori luce tuos aſſeclas recreabis. Quippe non alia de cauſſa* Foyæ *(quantum augurari fas eſt) conſediſti, quàm vt ex eo loco, velut ex fauentiſsimo profuſæ miſericordiæ tribunali, tuas aures benigniſsimas noſtris queſtibus, ac lamentis: oculos verò calamitatibus, ac ærumnis perpendendis aperires. Eris igitur hic nobis poſt* Deum *immortalem malorum omnium ſemper antidotum, præſidium egeſtatis, rebus anguſtis ſolatium, deficientibus ſubſidium, clypeus, atque propugnaculum oppugnantibus aduerſarijs, ſacra fluctuantibus anchora, noſtræ compendium fœlicitatis, vitæ etiam ac morum exemplar, tandemque in cœleſti Capitolio triumphaturis laurea multo iucundiſsima: Da itaque mater amantiſsima, patrona*

*optimæ*

optima, vt tuo ſepti præſidio, atque meritorum circumuallati munimine, ſic in periculoſo duellantis vitæ huius puluere contra tartareum antagoniſtā decertemus, vt promiſſum victoribus beatitatis æternæ brauium numquam amittamus.

INDEX

# INDEX CAPITVM,

## AC MIRACVLORVM, QVO tempore Foyenſis imago in arce Cellenſi degebat.


Cap. I. *HErnioſus mirabiliter conſaneſcit.*

Cap. 2. *Cæcus oculorum vſum recuperat.*

Cap. 3. *Febricitanti paroxiſmus depellitur.*

Cap. 4. *Tibia extra modum tumefacta ſubſidit.*

Cap. 5. *Hæmorrhoides ſupprimuntur.*

Cap. 6. *Cardialgia repentino compeſcitur.*

Cap. 7. *Febricitans à medicis conclamata ſaluti reſtituitur.*

Cap. 8. *Lethifer catarrhus diſsipatur.*

Cap. 9. *Oculorum vſus cœco inſtauratus.*

Cap. 10. *Alterius item cœcitas depellitur.*

# INDEX CAPITVM, AC MIRACVLORVM, EX quo ab arce Cellenſi, ad Foyenſe ſacellum, imago Virginis eſt tranſportata.


Cap.I. *Tibiæ tumentis in integrum reſtitutio.*

Cap.2. *Cœco videndi poteſtas redonatur.*

Cap.3. *Tibijs ambabus captus derepentè confirmatur.*

Cap.4. *Aliud eiuſdem generis argumentum.*

Cap.5. *Acicula gutturi infixa reuellitur.*

Cap.6. *Claudicanti rigor tibiæ remittitur.*

Cap.7. *Diſtortus, ac monſtro ſimilis integraſcit.*

Cap.8. *Neruorum compages firmatur paralyticæ.*

Cap.9. *Apoplectica lateris ſtupore, ac frigore depulſo reuireſcit.*

Cap.10. *Artuum languor, atque imbecillitas ſtabilita.*

Cap.11. *Alter oculorum cœco redditus.*


Cap.12

Cap.12. *Ingens capitis dolor momento exulat.*

Cap.13. *Hernioſus inſperato cõualeſcit.*

Cap.14. *Alius itidem hernioſus ſanatur.*

Cap.15. *Membrorum vſu deſtitutus de integro vegetatur.*

Cap.16. *Benedictini inſtituti ſacerdos, brachiorum ac digitorum vſuram recuperat.*

Cap.17. *Cœcitas iterum profligata.*

Cap.18. *Gemina proles abortu effuſa, vitæ reſtituta.*

Cap.19. *Alia rurſum hernia percuratur.*

Cap.20. *Calculus ope* Virginis *ex vreteribus extunditur.*

Cap.21. *Imminuta videndi vis iterum augeſcit.*

Cap.22. *Tibiæ claudæ rigor diſſoluitur.*
*Corollarium.*

Ad maiorem Dei, Deiparæque Virginis gloriam.

*FINIS.*

# APPROBATIO.

EGo infrà ſcriptus, iuxta facultatem à Reuerendiſſimo Epiſcopo Atrebatenſi mihi conceſſam, approbo vt in lucem edatur hæc *breuis & ſuccincta narratio miraculorum B. Virginis Foyenſis*, ad pietatem & cultum Deiparæ excitandum accommodatiſſima. Duaci, xiij. Octobris. 1620.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

*Ioannes Præpoſitus, è Societate Ieſu, Sacræ Theologiæ Doctor.*

# PRIVILEGIVM.

EGO infrà ſcriptus, Prouinciæ Gallo-Belgicæ Societ. IESV Prouincialis, iuxta priuilegium à Ser^mis Principibus noſtris ALBERTO ET ISABELLA, eidem Soc. noſtræ conceſſum, quo bibliopolis omnibus prohibetur, ne libros ab eiuſdem Societatis hominibus compoſitos, abſque Superiorum permiſſione imprimant; facultatem do MARCO WYON, Typographo Duacenſi, vt librum, cui titulus eſt: *Breuis & ſuccincta narratio Miraculorum Virginis Foyenſis, à P. Petro Bouillio è Soc.* IESV *Gallicè primum edita, indéque à quodam eiuſdem Societ. Latinitate donata*: ad ſex annos proximos imprimere, & liberè diſtrahere poſſit. In quorum fidem, has manu propriâ ſubſcriptas, & officij noſtri ſigillo munitas dedimus. Duaci 26. Septembris 1620.

FLORENTIVS DE MONTMORENCY.

BIBLIOTECA